

fuis vijs. Sed si sessionem & stationem velimus intelligere ad litteram; cum Christus dicatur aliquando stare, oportet nos talia referre ad aliud & aliud tempus; possunt enim sessio & statio pro alio & alio tempore eidem corpori convenire.

QVÆSTIO IV.
QVODLIBETI VI.

Utrum, si, Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab eo?

Pertractant hanc quæstionem passim authores Scholastici sententiarij in 1. dist. 11. & Summistæ primâ part. q. 36. inter priores ipse Ægidius art. 1. q. 3. Argentinas q. 2. Gerard. Senensis q. 2. art. 3. Alphonsus Tolet. q. 1. Greg. Arim. q. 1. Scotus q. 2. Richard. ibid. Hervæus q. 1. Bafol. a. 3. Durand. q. 2. Occam. q. 2. Aureol. ibid. Gabr. ibid. Inter posteriores D. Thomas q. 36. a. 2. cum suis Commentatoribus. Ruys d. 68. Suarez de Trinit. 1. ro. c. 2. Alarcon tract. 5. de Trinit. disp. 9. cap. 3. Putcanus 1. p. q. 36. dub. ult. & alij plures hic & alibi inter quos Gotofredus apud Scot. citat. q. 7. q. 4. & Torres 1. p. q. 36. a. 2. p. 2. dicunt quæstionem esse insolubilem & inutilem.

Et hic Ægidius hanc questionem discutit, primò arguendo pro utraque parte, inde tradita & explicata sua sententia negativa & solvit argumentum factum pro parte affirmativa. Hic terminis;

Quarto quærebatur: Vtrum Spi-
ritus Sanctus distingueretur à
Filio, si non procederet ab eo?
& arguebatur, quod non.

QVIA, secundum Anselmum, relationum oppositio facit in divinis personarum pluralitatem : sed si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non haberet ad ipsum relationē oppositam; ergo non distingueretur ab eo.

IN CONTRARIUM est ; quod
secundum Augustinum 5. Trinit. c. 7.
Spiritus Sanctus procedat ut datus; Fi-
lius verò ut natus : sed, si numquam
procederet Spiritus Sanctus à Filio,
adhuc ei competeret , procedere ut
datum , & Filio ut natum : igitur di-
stingeretur ab eo ; tametsi non proce-
deret ab ipso.

RESOLVTIO.

Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, cum non haberet relationem oppositam ad ipsum, etiam realiter non distingueretur ab eo.

RESPONDEO dicendum; quod 1. Sent.
affirm.
de hoc inter Doctores fuit di-
versæ ſententiæ; volunt enim
quidam, quod ſi Spiritus Sanctus non
procederet à Filio adhuc diſtingueretur
ab eo; dicunt enim iſti, quòd non ſo-
lùm ſit diſtinctio per relationes oppo-
ſitas, ſed etiam per diſparatas. Conce-
dunt quidem, quod, ſi non procede-
ret ab eo, non haberet ad eum relatio-
nem oppoſitam; haberet tamen diſpa-
ratam: eo enim ipſo, quod Filius pro-
cedat per modum naturæ, Spiritus
Sanctus per modum voluntatis, eſt
alius modus procedendi hujus & illius,
& conſequenter habent ibi eſſe rela-
tiones diſparatæ, & poterit conſervari
inter eos diſtinctio.

Sed, ut in prosequendo patebit, secundum has relationes disparatas non esset distinctio inter Filium & Spiritum Sanctum, nisi secundum rationem tantum: & quia hoc non sufficit ad distinctionem Personarum, oportet nos ponere ibi non solum relationem disparationum, sed etiam oppositionum: ut dum oportet Spiritum Sanctum procedere à Filio, etiam ab ipso distinguatur. Et ut hoc appareat,

Oppugnatur.
Quia relatio disparationum non sufficit ad distinctionem realem, sed tantum rationis.

TRIA sunt consideranda. Primò, Ad hoc tria
videndum est, quomodo relatio differe-
rat à suo fundamento. Secundò, de-
clarandum erit, quor modis habeat re-
latio distinguere. Terriò, hæc sunt
adaptanda ad divina: & videndum est,
Quomodo Spiritus Sanctus distingue-
retur à Filio, si non procederet ab ipso?

Propter primum, sciendum, quod relatio non distinguatur à fundamento, ^{1. Quod relatio nō distinguatur à fundamento quantum ad esse.} quantum ad esse: sed solum quantum ad esse quidditatis, ut verbi gratiâ: dum similitudo fundatur in albedine, non erit aliud esse albedinis, & similitudinis: quia similitudo si adderet aliquod aliud novum esse supra albedinem, cum non posset esse in aliquo aliud & aliud esse absque compositione, esset aliquid compositius, quod esset simul album & simile, quàm id quod esset album solum: quod patet esse falsum. Realiter igitur non est aliud esse relationis & fundamenti. Est tamen alia ratio quidditatis: quia secundum rationem quidditatis res ponitur in prædicamento: ^{Sed tantum quoad quidditatem, five ex natura rei; cum faciat aliud prædicamentum} quare cum relatio faciat aliud prædicamentum

mentum à fundamento , oportet, quod habeat aliam rationem quidditatis.

- II. Viso , quomodo relatio comparetur ad fundamentum , restat videre, Quomodo habeat distinguere.

Hinc duplici respectu facit distinctionem, 1. secundum esse, 2. secundum quidditatem, & quoad hoc solum ab opposito.

Sciendum ergo , relationem dupliciter facere distinctionem : scilicet secundum esse , & secundum rationem quidditatis ; aliter tamen & aliter , quia secundum rationem quidditatis distinguit solum ab opposito. Nam , cum ratio quidditatis ipsius relationis sit ad aliud se habere, secundum hunc modum non distinguitur relatio, nisi ab eo , ad quod refertur ; ut , Paternitas, secundum rationem quidditatis, distinguit Patrem solum à Filio, ad quem refertur: sed secundum esse distinguit Patrem non solum à Filio , sed ab omni non Patre; eo enim quod Paternitas sit in hoc supposito , & non in alio , distinguitur Pater ab omni eo, in quo Paternitas non habet esse.

- III. His itaque sic declaratis, est tertio videndum , quomodo hæc adaptari possint ad divina , & consequenter , quomodo Spiritus Sanctus distingueretur à Filio , si non procederet ab ipso.

Esse relationis non distinguitur ab esse fundamenti.

ADVERTENDVM ergo , quod, cum esse relationis sit esse fundamenti, non distinguatur relatio ratione esse , nisi sit ibi distinctum fundamentum ; ut distinguere simile à non simili per hoc, quod in eo sit similitudo , quæ non est in non simili (si illa similitudo fundetur in albedine) nihil sit aliud quam distinguere album à non albo , per hoc, quod in albo habeat esse albedo , quæ non est in non albo ; ergo numquam relatio distinguit secundum esse , nisi fiat distinctio secundum fundamentum , vel secundum aliquid absolutum.

Sicut nec relatio in divinis, secundum esse , ab essentia.

Imò tametsi hoc dubium esset in creaturis; in divinis tamen dubium esse nullo modo debet. Nam cum in divinis (ut communiter ponitur) relatio maneat , quantum ad suum genus , solum secundum rationem quidditatis : secundum verò esse transeat in divinam substantiam , non possumus in divinis relationem distinguere secundum esse, nisi sit ibi distinctio secundum substantiam , vel secundum aliquid absolutum. Cum sit ergo regula *Augustini in pluribus locis in libro de Trinitate* ; quod

omne , quod à se dicitur , dicatur de qualibet personâ , sicut & de omnibus singulariter ; non tamen pluraliter : idque , quia (ut ait) secundum talia non potest esse distinctio : in divinis non erit distinctio per relationes secundum esse ; sed solum secundum rationem quidditatis : sed cum relatio secundum quidditatem non distinguat nisi ab opposito, bene dictum est , quod *Ricardus ait in libro de Trinitate* , quod *in divinis omnia sint eadem , ubi non obviat relationis oppositio*. Cum ergo si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non haberet relationem oppositam ad ipsum, etiam sequeretur , quod realiter distingueretur ab eo.

Quamvis secundum quidditatem distinguatur ab opposito.

Sic ergo imaginari debemus ; quod, quia esse divinum est esse purum (cum in illo reservetur omnis ratio essendi) cui communicatur illud esse , communicetur omne esse. Cum ergo esse divinum, in quo reservatur omne esse, communicetur cuilibet divinæ personæ, quantum ad esse non poterit esse distinctio inter eas.

Esse enim divinum est esse purum, quod omnibus personis communicatur.

Adeoquæ inter eas non facit distinctionem.

Advertendum tamen ; quod , licet cui communicatur esse divinum , communicetur quoque ei omne esse , vel omnis ratio essendi ; non tamen communicetur ei omne referri , vel omnis respectus. Inter divinas ergo personas non est distinctio secundum esse , sed solum secundum referri , vel secundum respectum : numquam ergo distinguitur una persona ab aliâ , nisi habeat respectum ad ipsam , vel nisi referatur ad illam : & quia, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio non referretur ad ipsum ; tolleretur quoque realis distinctio inter ipsos.

Non tamen secundum referri.

QVOD verò obijciebatur in contrarium ; quod, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio; adhuc tamen Filius à Patre procederet , ut natus , Spiritus Sanctus à Patre , ut datus : vel aliter, unus procederet per modum voluntatis, alius verò per modum naturæ , vel per modum intellectûs, quod idem est: Dici debet; quod, hoc posito, non plus Filius & Spiritus Sanctus differrent propter hujusmodi relationes disparatas ; quàm intellectus & voluntas , quæ in naturâ fundantur. Igitur cum natura & voluntas, sive intellectus & voluntas, in qui-

Sine quo datus & genitus non distinguantur nisi ratione.

in quibus tales relationes fundantur, non plùs differant in divinis, quàm secundum rationem, Filius & Spiritus S. solum secundum rationem differrent.

MEMBRVM II.

De pertinentibus ad creaturas.



OSTEA quærebatur de entibus secundis, ut de entibus creatis & causatis. Circa autem entia creata & causata, quantum ad præsens spectat, dupliciter potest dubitari; generaliter scilicet, & specialiter. Ideoque circa hoc dupliciter quærebatur. Nam primò quærebatur de omni ente creato generaliter, & erat quæstio, Vtrum in omni ente creato differant essentia & esse? Secundò, circa entia creata aliqua specialiter quærebantur.

Quia verò varia sunt entia creata, & diversissima de ijs quæri possunt, hinc in diversas disputationes ea partiemur, juxta distributionem, quam habet auctor post quæstionem septimam, & alibi per decursum quodlibeti; juxta quam hoc membrum dividemus in octo disputationes. Prima erit de ente creato in genere. Secunda de substantia creati entis spiritualis. Tertia de potentiâ cognoscitivâ entis creati spiritualis. Quarta de ente corporali in genere. Et quia hoc est vel merè corporale, vel partim spirituale, partim corporale; hinc erit. Quinta disp. de nobilissimo ente merè corporali, quod est cælum. Sexta de substantiâ entis partim corporalis, partim spiritualis, quod est homo. Septima disputatio de quibusdam quæ spectant ad hujus entis potentias hic in viâ. Octava disp. & ult. de hoc ente in patria. Sit ergo.

DISPUTATIO I.

De eo quod spectat ad ens creatum in genere.

QVÆSTIO VNICA.

QVODLIBETI VII.

Vtrum in omni ente creato differant esse & essentia?

Tractatur hæc difficultas, tum à Theologis, tum à Philosophis: ab illis quidem in quart. d. 8. & quidem Ægidius ibid. p. 1. q. 2. & l. de ente & essentia, Gregor. Arim. ibid. q. 3. a. 1. opin. 2. ad 4. Scotus in 3. d. 6. q. 1. Bassol. q. 1. a. 2. cum alijs ibid. cit. Magist. d. 2. q. 2. a. 2. diff. 2. Durand. q. 3. Mich. a. Pal. disp. 2. Aureol. a. 4. Capreol. q. 1. Gabr. in 3. d. 6. q. 1. D. Thomas 1. parv. q. 3. a. 4. cum Thomistis, & Commentatoribus. Putean. ibid. Molin. disp. 1. & 2. Cajet. ibid. & iterum D. Th. 1. contra gent. c. 22. & l. 2. c. 52. & inter Philosophos, Albert. 1. de causis cap. 8. Sotus 2. Phys. q. 2. Cajet. de ente & essentia c. 5. q. 1. Suar. Metaph. tom. 2. d. 31. sect. 1. Perer. 6. Phys. cap. 4. Rubius 1. Phys. tr. 1. de mæ. prim. q. 4. Hurtad. Metaph. d. 8. sect. 4. Arriag. d. 2. sect. 2.

Ipse verò Ægidius hic utrimque primò discutit quæstionem: inde resolvit affirmative, & argumentum pro parte negativa dissolvit. Hoc modo.



AD PRIMVM sic procedebatur. Arguebatur enim, quod in omni ente creato differat essentia & esse. Sic enim (ut dicebatur) arguit perspectivus de coloribus respectu lucis, ut quia colores aliquando sunt illuminati, & inveniuntur cum luce ideò colores differant à luce. Cum ergo essentia creaturarum aliquando fuerit conjuncta ipsi esse, aliquando autem non conjuncta ipsi esse; oportet essentiam cujuslibet creaturæ esse differentem ab esse. Præterea, omne, quod habet esse ab alio, non est suum esse, sed est in potentiâ ad esse: sed cujuslibet creaturæ essentia habet esse ab alio; ergo nulla talis essentia est suum esse, sed est in potentiâ ad esse; ergo in qualibet creaturâ differt essentia & esse.

IN CONTRARIVM est, quod, secundum Philosophum 4. Metaph. ens & unum non dicant aliam intentionem additam supra essentiam rei: sed ens sumitur

mitur ab esse : ergo esse non dicit aliam intentionem additam supra rei essentiam.

CONCLUSIO.

In rebus creatis, siue essentijs creaturarum datur actualitas quædam differens ab earum essentia : quæ actualitas sit ipsum esse creaturarum : unde essentiam earum ab esse differre omnino dicendum est.

Sicut datur aliquid, quod sit ipsa extensio, per quod reliqua extendantur.

Quod est quantitas,

Sic etiam esse purum, à quo omnia entia participant esse.

Quod est quædam actualitas à Deo impressa omni entri

Et contra quosdam

RESPONDEO dicendum, quod, sicut est dare aliquid quod est ipsa extensio essentialiter, ut omnia alia sint extensa, in quantum participant ipsum; quod est quantitas, quæ est extensa per essentiam, & ipsa extensio essentialiter : omnia autem alia in tantum sunt extensa, in quantum participant quantitatem : sic sit dare aliquid, quod est ipsum esse purum essentialiter ; omnia autem alia in tantum sunt entia, in quantum participant ejus esse. Hujusmodi autem ens per essentiam, quod est ipsum esse purum, est ipse Deus : creata autem entia in tantum sunt in quantum participant ejus esse. Et hoc est quod Commentator ait lib. 2. Metaph. quod unum sit per se ens & per se verum : creata verò entia & sint, & sint vera per esse & veritatem ejus.

Sic igitur imaginari debemus, quod, sicut quantitas, quæ est ipsa extensio, essentialiter facit omnia alia esse extensa, sic suo modo Deus, qui est ipsum esse essentialiter, faciat omnia alia habere esse.

Esse ergo nihil est aliud, quam quædam actualitas impressa omnibus entibus ab ipso Deo, vel à primo ente; nulla enim essentia creaturæ est tantæ actualitatis, quod possit actu existere, nisi ei imprimatur actualitas quædam : & illa actualitas impressa vocatur esse. Sicut ergo naturæ corporales, aliæ à quantitate, non sunt de se actu extensæ : sed sunt in potentiâ, vt extendantur per quantitatem ; sic omnes naturæ aliæ à primo ente non habent de se, ut actu existant, sed sunt in potentiâ ad esse, & accipiunt esse ab ente primo.

Ex hoc autem volunt quidam dicere, quod esse non sit aliquid realiter differens ab essentiâ : sed solum sit quidam

respectus ad ens primum : ita quod, secundum hoc, una & eadem res sit essentia & esse : sed sit essentia secundum se considerata ; esse verò sit per comparisonem ad ens primum, & in quantum est effectus entis primi.

Sed ad hoc dicendum ; quod si Deus seipso formaliter faceret entia esse, forte non oporteret dare aliquod esse creatum differens ab essentiâ rerum : nunc verò, cum Deus non sit esse omnium formaliter & inhærenter, sed exemplariter & effectivè, præter divinum esse oportet dare aliquod esse actuale, quod sit impressum ab ipso primo ente ipsi essentiæ & naturæ rerum. Erit ergo in rebus creatis, vel in essentijs creaturarum actualitas quædam differens ab essentiâ, quæ actualitas dicitur esse. Quare in rebus creatis differt essentia & esse.

Ex hoc etiam patere potest, quomodo sit creatio rerum. Nam si res essent simplices, & non esset ibi compositio, inter essentiam & esse, non video, quomodo creari possent. Sicut enim non generantur per se nec materia, nec forma, sed generatur compositum ; sic nec creatur essentia per se separata ab esse, nec creatur esse separatum ab essentiâ : sed creatur totum compositum ex essentiâ & esse.

AD HOC verò, quod obijciebatur in contrarium, quod ens sumatur ab esse, dici potest ; quod sumatur ab esse essentiæ : & de hoc esse non est quæstio : sed quæstio introducta est propter actuale esse, quod realiter ab essentiâ est distinctum.

DISTRIBUTIO QVÆSTIONVM SVBSEQUENTIVM.

DEINDE quærebatur de creaturis in speciali. Creatura autem primâ facie dividitur in corporalem & intellectualem : propter quod dupliciter quærebatur : Primò enim quærebantur quædam pertinentia ad creaturam intellectualem : Secundò quædam pertinentia ad corporalem. Creatura autem intellectualis dupliciter potest considerari, primò secundum substantiam : & circa hoc erat quæstio ; Vtrum substantia intellectualis esset

Non formaliter, sed effectivè.

Ab illo et distincta.

Alioquin non posset creari.

Cum creetur totum compositum ex esse & essentiâ.

esset composita ex materia & forma? Secundò potest considerari intellectualis substantia secundum operationem suam, quæ est cognoscere & intelligere: & circa hoc quærebantur duo; primò enim quærebatur, Vtrum intellectualis substantia cognoscat singularia? secundò, utrum cognoscat futura contingentia? Tripliciter ergo fiebat quæstio circa intelligentias, prima erat de compositione substantiæ, secunda de cognitione singularium, tertia de cognitione contingentium futurorum. Sit ergo

DISPUT II.

*De compositione substantiæ creatæ
spiritualis completæ.*

QVÆST VNICA

QVODLIBETI VIII.

*Vtrum substantia intellectualis completæ
sit composita ex materia &
forma?*

Tractat hanc quæstionem Ægidius in 2. d. 3. art. 1. quæst. 1. & d. 8. art. 1. quæst. 1. & communiter illis DD. Theologiscnt. Bonavent. art. 1. quæst. 2. Ric. art. 1. quæst. 1. Basil. art. 2. Marfil. quæst. 2. art. 1. Major q. 1. Aureolus art. 1. Capreolus quæst. 2. Gabr. quæst. 1. art. 1. Alensis 2. part. quæst. 14. m. 1. &c. Scotus d. 1. quæst. 5. & d. 2. quæst. 1. 6. & 8. Bacon. d. 17. art. 1. Divus Thomas 1. part. q. 50. art. 1. & 51. art. 1. cum Thomistis & Commentatoribus. Item 2. contra gent. cap. 91. Ferrariensis ibidem. Durandus 2. d. 8. quæst. 1. Puteanus 1. part. quæst. 50. art. 1. d. 2. Molina ibid. Suarez lib. 1. de Angelis cap. 6. Vasq. d. 178. cap. 3. Amicus de Angelis d. 3. Cursus Salmanticensis quæst. 51. art. 1. Banez ibidem. Ex antiquis Philosophis Plato apud Aug. lib. 8. de Civit. cap. 14. Aristoteles 12. Metaph. textu 44. ex recentioribus Hurtado d. 12. Metaph. sect. 2. & plures alij.

Ægidius verò hic, discussâ in utramque partem quæstione propositâ, concludit negativè ostendendo etiam, quomodo affirmativa sententia non rectè teneatur, ad pluralitatem Angelorum intra eandem speciem: & tandem argumenta pro affirmativâ parte adducta dissolvit. His terminis.



AD PRIMVM sic procedebatur. Ostendebatur quidem substantiam Angelicam compositam esse ex materiâ & forma; quia, ut dicebatur, Boëtius in commentario super prædicamenta distinguit triplicem substantiam, materiam, & formam, & compositum; & ait quod relictis extremis agat de medio: sed cum ipse agat de substantiâ, quæ est medium genus: sequitur quod substantia quæ est genus, vel ipsum prædicamentum, sit quid compositum ex materiâ & formâ: materia ergo & forma erunt principia se extendentia ad totum genus, vel ad totum prædicamentum, quod est substantia. Quidquid ergo est in prædicamento substantiæ participabit ista principia, & erit quid compositum ex materiâ & formâ: sed intelligentia est in prædicamento substantiæ. Ergo &c.

PRÆTEREA, ut dicebatur, non est proprietas absque proprio subjecto, sed recipere est proprietas materiæ; ubicumque ergo invenitur ratio receptionis, invenitur ratio materiæ: sed ipsæ intelligentiæ recipiunt influentias à principio, ergo si eis competit recipere, competit etiam habere materiam.

IN CONTRARIVM est; quod hæc tria se habeant per ordinem; substantia, virtus, & operatio; sic ergo debemus loqui de substantiâ & virtute, ut loquimur de ipsâ operatione: sed operatio Angelorum, quæ est intelligere, est simplex & immaterialis, ergo & eorum substantia simplex & immaterialis erit.

CONCLUSIO.

Quamvis creata substantia completæ intellectualis habeat potentialitatem aliquam conjunctam, non tamen componitur propriè ex materia & forma.

RESPONDEO dicendum; quod quidam, ut salvarent, plures Angelos esse ejusdem speciei, dixerint eos esse compositos &

C materiâ

materiâ & formâ. Sed hoc magis arguit oppositum quàm propositum : quia si esset materia in Angelis , non solum non essent plures Angeli ejusdem speciei ; sed etiam non essent duo Angeli ejusdem generis : si ergo sit inconueniens , dare tantam diversitatem in substantijs separatis , ut non inveniatur duo talia ejusdem generis , inconueniens est in eis ponere materiam.

Materia non facit diversitatem speciem.

Sed numericam vel gener.

Hoc ut appareat , sciendum , quod nunquam materia faciat diversitatem in specie , sed solum facit diversitatem in numero , vel in genere. Vnde *Philosophus quinto Metaphysica cap. de uno*. Cum prius dixisset , quod unitas generis sit quasi unitas materiæ , postea inferius subdidit , quod , quæ habent unam materiam , sint unum numero. Videtur enim unitas generis quasi unitas materiæ : non solum quia genus se habet , quasi materia , sed quia quæ habent unam materiam sunt unum genere : quæ igitur habent unam materiam , vel sunt unum genere , vel sunt unum numero. Et per locum ab oppositis quæ habent diversas materias ; vel differunt genere , vel differunt numero.

Et, quando

VT ERGO sciamus quam rem materiam faciat differre solum numero , & quam faciat differre genere : Advertendum , quod materia dupliciter diversitatem faciat.

Numericam.

Primò ex extensione ; ut quia materia est extensa , in aliâ & aliâ parte materiæ recipi habet alia & alia forma : ut quia materia auri , ex quâ fiunt aurei annuli , est extensa in aliâ parte auri , poterit recipi alia & alia forma annuli aurei : annuli ergo aurei differunt per materiam : sed hoc est propter materiæ extensionem. Cum ergo materia facit talem diversitatem , facit diversitatem numericam.

Genericam ?

Quâ differunt corpora coelestia à sublunaribus ;

Secundò potest sumi diversitas ex materiâ , non propter materiæ extensionem , sed propter aliam & aliam rationem recipiendi formam : & sic differunt per materiam supercoelestia corpora ab his inferioribus , nam in his inferioribus materia sub aliâ ratione recipit formam quam in supercoelestibus : quia hic recipit formam non com-

plentem totum appetitum ; ibi autem complementem. Quæcumque autem differunt sic per materiam , differunt genere. Si ergo Angeli differant per materiam : vel hoc est , quia materia est extensa , & in aliâ & aliâ parte materiæ recipitur alia & alia forma Angelica : vel hoc erit , quia materia Angeli unius sub aliâ ratione recipit formam , quàm materia alterius Angeli. Non possumus autem dicere , Angelum differre per materiam , propter materiæ extensionem ; differunt ergo per materiam propter aliam & aliam rationem recipiendi formam : sed talis differentia per materiam facit differre genere : si ergo in omnibus Angelis est differentia materialis , in omnibus erit differentia secundum genus , & non erunt duo Angeli in eodem genere , quod est inconueniens dicere : quia , cum tota corporalis substantia administraretur per Angelos , ut vult *Augustinus libro 3. de Trinitate*. Et in totâ corporali substantiâ sit conveniëntia propter ipsas spirituales substantias regentes eam , inconueniens est ipsas spirituales substantias ponere sic distantes , & diversas , & distinctas , ut non reperiantur duæ ejusdem generis : non est ergo materia in Angelis.

Dicere autem sic differre Angelos est inconueniens.

Benè est tamen ibidem aliquid loco materiæ : quia non sunt actus purus , sed habent aliquam potentialitatem admixtam. Vnde & in lib. de causis scribitur ; quod intelligentiæ habeant suam *ἐλμαχην* , id est , suum materiale. Et hoc fortè volunt illi qui in Angelis materiam ponunt , cum ipsi dicant materiam illam non esse ejusdem rationis cum materiâ corporalium : solum ergo in verbis videntur discordare à nobis , quia & nos ibi aliquod materiale ponimus.

Quamvis habent suam materialitatem seu potentialitatem.

RESPONDETUR ARGUMENTIS CONTRARIIS.

AD HOC verò , quod obijcebatur in contrarium ; quia materia & forma sunt principia in genere substantiæ : dici debet quod si accipiat ibi genus substantiæ

stantiæ solùm pro substantiâ sensibili, absolutè & simpliciter sit verum: sed si accipiat substantia prout includit substantiam intelligibilẽ, non est accipienda materia & forma simpliciter & propriè: sed accipiẽda est materia largè, pro omni materiali: & quia in ipsis Angelis ponimus aliquid loco materiæ, salvari possunt documenta *Boëtij*.

Recipere formas individuales sensibiles proprium est materiæ.

Hoc verò, quod addebatur secundò, quod recipere sit proprium materiæ, Dicendum: verùm esse, quod sit proprium materiæ recipere formas individuales sensibiles; sed non esse proprium ei recipere universales, & intelligibiles, ut vult *Commentator in tertio de animâ*; ubi dat differentiam, inter recipere ipsius materiæ, & ipsius intelligentiæ: influentia autem recepta in mentibus Angelorum non est sensibilibis, sed intelligibilis: cessat ergo objectio.

DISPVAT. III.

De cognitione substantiæ spiritualis completæ.

Hanc materiam tractant ipse *Ægidius* in 2. dist. 3. *Gregor. Arimin.* ibidem, sicut *Divus Thomas*, *Scotus*, *Durandus*, nominales & alij *Sententiarij*. Et *Divus Thomas* 1. part. à quæstione 54. usque ad 58. cum suis *Sectatoribus*, & *Summistis*, & singulariter *Cursus Salmanticensis*, *Molina*, *Amicus* à disputatione 8. usque 15. *Puteanus*. Et inter *Philosophos Aristoteles* cum *comment. 12. metaphysicæ*. Inter *Neotericos Hurrado* disp. 12. sect. 4.

QVÆSTIO I.


QVODLIBETI IX.

Vtrum Angeli cognoscant singularia?

Speciatim hæc materia deciditur ab ipso *Ægidio* in 2. d. 3. part. 5. quæst. 4. *Scoto* quæst. 11. & *Gregor. Arim.* d. 7. quæst. 4. *Aureol.* d. 11. quæst. 4. art. 2. & 3. à *D. Tho.* 1. p. q. 57. art. 2. vñ & ibidem habent *Sectatores* & *Summistæ*. *Molina*, *Puteanus*, *Amicus*, *Cursus Salmanticensis* tract. 7. de Angelis disp. 7. d. 2. ubi allegantur multi *Patres*, & *Doctores* id ipsum docentes, & disputatur quæstio in utramque partem. Et decidi potest ex alijs locis, ubi tractatur de cognitione, quam habet *Deus* de rebus quibuscumque. Item ex eo quod habet *Ægidius* quodlibet. 5. quæst. 28. de cognit. an. separ.

Ægidius verò hic agit utrimque quæstionem, & concludit affirmativè: tan-

dem solvit argumenta facta pro parte negativâ. His verbis.



Secundò quærebatur circa ipsos Angelos, Vtrum cognoscant singularia? & arguebatur, quod non:

PRO PARTE NEGAT.

QVIA secundum *Augustinum* secundo *Soliloquiorum*, corporalia & sensibilia non cognoscuntur, nisi sensu: sed Angeli non habent sensum, ergo non possunt cognoscere singularia, quæ sunt corporalia & sensibilia.

Præterea si Angeli cognoscant singularia; vel hoc est per species singulares, vel per universales: per singulares non; quia cum singularia possint esse infinita, contingeret eos habere infinitas species: nec etiam hoc esse poterit per species universales; quia cognitio in universali est in potentiâ, & non certificatur, nec est in propriâ formâ; ut cognoscere *Sortem* in eo quod homo, vel per speciem universalem hominis non est cognoscere ipsum determinatè, & certitudinaliter, & in propriâ formâ: nec talis cognitio est in actu, sed magis est in potentiâ quâdam propinquâ, ut possim ipsum cognoscere in eo, quod *Sortes*. Quare si Angeli cognoscant singularia per species universales, non cognoscunt ea directè, & in propriâ formâ; sed in potentiâ tantum; & quia quod est in potentiâ non est, si hoc modo singularia noscunt, magis dici debent, quod non cognoscant singularia, quàm quod cognoscant.

PRO PARTE AFFIRMAT.

In contrarium est, ut scribitur *quinto de Consolatione*; quidquid potest virtus inferior, potest superior: sed sensus noster inferior est intellectu nostro; ergo multò magis est inferior quàm intellectus Angelicus: sed nos per sensum possumus cognoscere singularia; ergo multò magis Angeli per intellectum cognoscent ea.

CONCLUSIO.

Cum Angeli cognoscant res per species à Deo impressas, & ab Ideis divinis derivatas, non per abstractas à Phantasmate, etiam cognoscunt singularia.

Respondeo dicendum: quod si consideretur differentia intellectus nostri ad intellectum angelicum, apparebit, quod, licet intellectus noster per se & directe non possit singularia cognoscere: intellectus tamen Angelicus hoc possit.

Omne agens agit secundum existentiam suæ formæ,

Quæ respectu intellectus nostri est species intellectus abstracta à phantasmatibus.

Inde intellectus noster, non cognoscit particularia directo aspectu.

Sed tantum universale.

Secus Angelis.

Ad cuius evidentiam, sciendum est, quod, cum omne agens agat, ut est in actu; & omne, quod est in actu, sit per suam formam: omne agens agat secundum existentiam suæ formæ: forma autem intellectus nostri, est species intelligibilis abstracta à phantasmatibus: & quia illa species est abstracta à conditionibus individuantiis, intellectus noster recto aspectu, & ut efficitur in actu per illam speciem, non cognoscit rem individualem & particularem, sed abstractam & universalem; si ergo intellectus noster debeat cognoscere particulare hoc modo, non erit directo aspectu: quia tunc videret non secundum suam formam, quod est contra rationem cujuscunque agentis: sed cognoscet particulare per reflexionem, convertendo se ad phantasmata.

Ideo dicitur in tertio de anima, quod potentia nostra intellectiva, cum sit extensa, id est, modo extenso, recto aspectu cognoscit carnis essentiam, id est cognoscit carnis quidditatem. Recto igitur aspectu intellectus noster cognoscit quidquid est rei secundum esse universale: sed particulare non cognoscit recto aspectu, sed per reflexionem. Si ergo modus intelligendi Angelicus conformaretur modo intelligendi nostro; ut, si Angeli cognoscerent per species abstractas à conditionibus individuantiis, non cognoscerent singularia recto aspectu; nec fortè ea cognoscerent per reflexionem: quia non haberent phantasma, supra quod se converterent. Sed Angeli, ut communiter ponitur, non

cognoscunt singularia, vel res per species à rebus abstractas: sed cognoscunt eas per species à Deo impressas, & per species ab Ideis divinis derivatas; cum ergo Ideæ in mente divinâ sint factivæ totius rei, non solum quantum ad formam; sed etiam quantum ad materiam totius (quia rei & omnium, quæ sunt in re, exemplar est Idea in mente divinâ) species in mentibus Angelorum ab illis Ideis derivatæ, ut communiter ponitur, repræsentare poterunt rem secundum se totam, & secundum omnia, quæ sunt in re: & quia res sic accepta consideratur secundum esse particulare, Angeli ipsorum particularium, etiam directo aspectu, cognitionem habebunt.

Quia habent species non à Phantasmate, sed à Deo impressas.

Quia considerant rem secundum se totam.

QVOD VERO obijciebatur; quod particularia & singularia cognoscantur solo sensu: verum est de nobis recto aspectu, cum sic intellectus noster tantum cognoscat universalia: non tamen hoc est verum de Angelis: quia jam patuit quomodo ipsi Angeli recto aspectu, per intellectum particularia possint cognoscere.

Ad hoc autem, quod addebatur, si Angeli cognoscant singularia, vel hoc est per species singulares, vel universales, Dici debet, quod, cum species Angelicæ non sint inductæ à materiâ, nec abstractæ per intellectum: sed sint ab Ideis divinis derivatæ, & propriè non sint particulares, nec universales; ideo præfata distinctio in proposito locum non habet.

VT TAMEN melius appareat quod quaeritur; Sciendum est, quod omnes Ideæ in mente divinâ realiter sint una res: & una divina essentia: Divina autem essentia, licet una sit realiter, distinctè tamen repræsentat infinitas res: quia in eâ sunt infinite rationes rerum: ita quod non eadem ratione conditus sit homo, & equus: ut vult Aug. lib. 83. quest. de Ideis.

Ideæ omnes in Deo sunt una res.

Repræsentans infinita.

Ratio autem, quare divina essentia possit distinctè repræsentare, & habeat in se tot rationes rerum, est: quia non comprehendunt divinam essentiam: sed omnia creata ab eâ deficiunt: nulla ergo creatura repræsentat Deum totaliter, & per omnem modum: sed aliqua repræsentat ipsum uno modo, & alia alio

Et quomodo?

alio modo. Et prout aliter & aliter divina essentia est imitabilis à rebus, aliter & aliter est exemplar rerum: & dicitur esse alia & alia ratio rerum, & alia & alia idea rerum.

Inde est ergo quod Deus per unicam essentiam suam, prout est diversimodè imitata a rebus, & prout est alia & alia ratio rerum possit omnia distinctè cognoscere. Species autem in mentibus Angelorum non attingunt illam simplicitatem divinam, quā realiter sint una & eadem res: tamen respectu horum sensibilium species Angelicæ aliquid participant de incomprehensibilitate divinā: quia, ut ait *Dionysius primò de divinis nominibus, intelligibilia per hæc sensibilia comprehendere non possunt*. Quia ergo hæc sensibilia non possunt comprehendere species in mentibus Angelorum, in unā & eadem specie Angelicā poterunt esse plures rationes sensibilium: ita quod per unam & eandem speciem poterit repræsentari hoc sensibile per unum modum, & aliud per alium. Et propter hunc alium & alium modum, & aliam & aliam rationem poterunt Angeli hæc sensibilia cognoscere distinctè. Vtrum autem simul cognosci possint ab Angelo omnia, quæ repræsentari possunt per unam speciem, non est præsentis speculationis. Sufficiat autem ad præsens, scire: quod hæc sensibilia non comprehendant species Angelicas, & multa sensibilia non comprehendant unam speciem in mente Angeli. Et quia aliquod sensibile imitatur illam speciem uno modo, aliud alio modo non confuso, sed etiam distincto: horum sensibilium cognitionem Angeli habere possunt.

QVÆSTIO II. QVODLIBETI X.

Vtrum Angeli cognoscant futura contingentia?

Hæc quæstioni responderet Ægidius in 2. d. 4. q. 2. & 3. & d. 7. p. 3. q. 2. ad 3. & l. de cognitione Angel. Argent. q. un. a. 3. Bonavent. p. 2. a. 1. q. 3. Hervæus q. 2. a. 2. Ricard. a. 3. q. 2. Durand. q. 3. & d. 3. q. 7. Alenf. 2. p. q. 26. m. 4. D. Thomas 1. p. q. 57. a. 3. & ejus Sectatores cum Summistis, Molina, Purcano, qui agit speciatim de cogitationib. fur. lib. d. 1. Item tractat Vasquez d. 207. Suarez de Angelis lib. 2. cap. 9. Arrub. part. 1. d. 168.

Valent. quæst. 8. punct. 3. Zum. art. 3. quæst. 1. Amic. disp. 11. de Angelis, sect. 1. Alarc. tr. 6. de Ang. cap. 7. & 8. Curius Salamant. tr. 7. de Angelis, d. 6. dub. 4. & alij alibi.

Ægidius verò hic allegata quæstionis occasione, disputataque ea in utramque partem: statuit suam sub distinctione doctrinam, & solvit argumenta contra eam facta. Hoc modo.



Errò quærebat; Vtrum Angeli possint habere cognitionem contingentium futurorum? & inducebatur hæc quæstio propter Angelos malos, & propter Merlinum. Dicitur enim de Merlino, quod ille natus fuerit per auxilium dæmonis, ut per artem succuborum & incuborum, & quia ille Merlinus dixit multa contingentia futura, quæ à multis creditur Diabolus eum docuisse & quia non potuit eum docere, nisi ea quæ sciret; erat quæstio, Vtrum Angelus malus, vel diabolus cognoscat futura contingentia?

Et arguebatur quod sic: quia, ut scribitur in libro de causis: *inter rem, cujus substantia & actio est in momento æternitatis, & rem cujus substantia & actio est in momento temporis, est res media, scilicet cujus substantia est in momento æternitatis, & actio in momento temporis*. Et videtur ibi velle Commentator, quod tam substantia intelligentis, quam etiam actio sit supra tempus. Sed si actio intelligentis sit supra tempus, æqualiter comparatur ad omnes differentias temporis, & non magis comparatur ad præteritum tempus, quàm ad futurum, nec è converso: sed ita cognoscit futura, ut præterita, & è converso. Cum ergo ipsis Angelis etiam malis sint nota præterita: nota erunt & futura.

IN CONTRARIUM est, quod si Angeli mali futura contingentia sciunt, maximè scivissent ea, quæ spectabant ad ipsos: fuissent igitur præscij sui casus, quod communiter dicitur esse falsum: ergo &c.

CONCLUSIO.

Cum Idea in mente Angelica debeant determinari per existentiam rerum cognos-

Non sic
Species An-
gelicæ.

Quæ sunt
nostris uni-
versaliores.

Vnde non
alligantur
singulæ sin-
gulis rebus
sensibili-
bus.

cendarum, ad hoc ut per eas Angeli cognoscant; & futura contingentia non habeant determinatam existentiam: dici oportet ab his non cognosci certò futura contingentia.

Respondeo dicendum: quodd, sicut quæstionem præcedentem solvimus, dando differentiam inter intelligere nostrum & Angelicum: sic & quæstionem hanc dissolvere possumus, dando differentiam inter intelligere Angelicum & divinum.

Operari sequitur esse rei.

Quod in Deo est purum, non, in Angelo.

Hinc illud determinari debet ad agendum per aliud, non hoc.

Et idem de Ideis dicendum.

Sciendum est ergo, quod, cum agere præsupponat esse, sic debeamus loqui de actione rei cuiuslibet, ut loquimur de ejus esse. Videmus enim, quod in hoc differat esse Angelicum ab esse divino: quia esse divinum est esse purum per se existens: esse autem Angelicum non est esse purum; sed est esse receptum in naturâ Angelicâ: illud autem, quod est per se stans non receptum in alio, non indiget, ut per aliud determinetur.

Illud autem, quod est in alio receptum, indiget, ut per aliud determinetur. Esse autem Angelicum determinatur per naturam, in quâ recipitur: & natura etiam determinatur per suum esse; utrumque benè dictum est, nam & materia determinatur per formam, & forma per materiam: esse autem divinum non propriè determinatur per naturam, nec natura per esse, tanquam per aliquod realiter differens: sed idem est ibi natura, & esse: utrumque stans: utrumque purum.

Ideæ itaque existentes in mente divinâ, quia sunt ibi modo divino, sic sunt rerum exemplaria, & repræsentativæ rerum, quod non indigeant determinatione aliquâ: nec indigeant aliquo, ad hoc, ut sufficienter repræsentent naturas rerum: nec oportet, quod natura determinetur per esse, & quod esse determinetur per naturam. Imò benè dictum est, quod *Apostolus ait, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Et *Augustinus: 5. de Trinit.* quod non aliter novit facta quàm faciendâ. Ergo non oportet quod res determinentur per esse, ad hoc, ut cognoscantur à Deo: quia *ita novit ea, quæ non sunt: sicut ea quæ sunt.* Sed species receptæ in

mentibus Angelorum (quia omne quod recipitur in aliquo, recipitur secundum modum rei recipientis) quantumcumque sint derivatæ ab Ideis divinis: tamen repræsentando aliquid, sequuntur modum naturæ Angelicæ, in quâ recipiuntur.

Cum ergo natura illa indigeat determinari per esse, oportet, illas species (ut res sufficienter represententur per eas) determinari per esse ipsarum rerum. Determinari autem aliquid per esse, potest intelligi dupliciter; vel in se, ut præsentia vel præterita: vel in suis causis, ut futura necessaria. Futura autem contingentia, quæ nec determinantur ad esse secundum se, nec secundum suas causas, ab intellectu Angelico certitudinaliter cognosci non possunt.

Quæ in Angelo debet determinari per esse rerum cognitæ.

Hujusmodi autem futura, vel sciunt Angeli, non certitudinaliter, sed per conjecturam, & ut in pluribus: vel sciunt ea, non naturali cognitione, sed per revelationem superioris spiritûs.

Ad hoc autem, quod obijciebatur, quia actio intelligentiæ sit supra tempus, dici debet, auctoritatem illam non esse ad propositum; vult enim auctor ibidem distinguere inter intellectivam animam, & intelligentias superiores; & vult, quod propria operatio intelligentiæ sit intelligere; propria autem operatio animæ sit movere; vult enim, quod hæc omnia inferiora, quoad omnia sua, mensurentur tempore; intelligentia verò, quantum ad omnia sua, sit supra tempus, quia & substantia, & operatio ejus, quod est intelligere, non propriè tempore mensuratur: anima verò, quantum ad substantiam quidem, est supra tempus, & mensuratur æternitate participatâ, vel mensuratur ævo: sed quantum ad operationem ejus propriam, quæ est movere, non est supra tempus: imò propriè mensuratur tempore: quia proprium motûs est tempore mensurari.

Intelligentia Angel. non propriè mensuratur tempore in se.

Est ergo intentio auctoris, quod intelligere, quæ est propria operatio intelligentiæ, non sic respiciat tempus, sicut motus, quæ est propria operatio animæ. Sed licet ipsum intelligere Angelorum in se, non mensuretur tempore; extendit se tamen ad temporalia, quæ tempore mensurantur: & quia propter

Sicut motus

Propria animæ operatio.

Tamen mensuratur ut comparatur ad temporalia.

propter rationes tactas, oportet res naturales determinari per esse, vel in se, vel in suis causis, ad hoc quod certitudinaliter ab Angelo cognoscantur, Angelus non cognoscet vel intelliget futura contingentia: eò quòd non determinantur illa nec in se, nec in suis causis.

Dicitur tamen ipsum intelligere Angelicum, non æqualiter respicere omnes differentias temporis, non ratione sui; sed ratione rerum temporalium, ad quas tale intelligere se extendit.

Non sic intelligere divinum.

Differunt ergo in hoc intelligere Angelicum & divinum, quia ipsum divinum intelligere nec in se mensuratur tempore, nec ut comparatur ad temporalia: imò non aliter novit præteritum quàm futurum. Intelligere autem Angelicum licet secundum se non mensuretur tempore, tamen ut comparatur ad hæc temporalia, non æqualiter respicit præteritum & futurum.

DISTRIBVTIO QVÆST. SEQVENTIVM.

DEinde quærebatur de pertinentibus ad naturam corporalem: natura autem corporalis dupliciter considerari potest. Quia quædam est purè corporalis: quædam autem est composita ex corporali & spiritali: ut homo. Omnis ergo quæstio circa naturam corporalem tripliciter diversificari potest: quia, vel est de naturâ corporali in genere: vel est specialiter de naturâ purè corporali: vel est de naturâ compositâ ex spiritali & corporali. Secundum hoc ergo procedebant objectiones factæ.

Quærebatur enim primò de naturâ corporali universaliter, & erat quæstio, quomodo hæc corporalia universaliter individuari habeant? & quærebatur etiam de quadam natura purè corporali, ut de cælo. Et circa hoc quærebantur duo, secundum quæ cælum dupliciter potest considerari: scilicet quantum ad esse, & quantum ad moveri; fiebat enim quæstio de ipso cælo quantum ad esse; utrum naturaliter haberet esse incorruptibile? fiebat etiam quæstio, quantum ad moveri; utrum per naturam oporteat cælum aliquando quiescere? exceptis ergo quæstionibus factis de naturâ composita ex corporali & spiritali

li, ut de homine: circa hæc corporalia tria quærebantur. Prima quæstio erat de individuatione corporum; Secunda de esse cœli; Tertia de motu ejus.

DISPUT. IV.

De principio individuationis rerum corporalium.


QVÆST. VNICA

QVODLIBETI XI.

Vtrum & quomodo corporalia individuentur?

Hanc difficultatem tangit & exponit ipse Egidius infra quodlibeto 2. quæst. 7. & quodlibeto 4. quæst. 1. & 9. Item in 2. d. 3. a. 2. quæst. 1. & seqq. & ibid. Sententiarum, Scotus ubi quæst. 7. Durand. q. 2. Occam in 1. d. 2. quæst. 4. 5. 6. Gabr. quæst. 6. & 7. D. Thom. 1. p. q. 3. a. 3. & q. 40. art. 2. & 3. p. quæst. 77. art. 2. & 1. contra gent. cap. 42. Cursus Salmanticensis 1. p. tract. disp. 1. Henric. quodlib. 5. quæst. 8. Goffred. quodlib. 6. q. 16. Cajet. de ent. & essent. Sorus in log. quæst. 2. universali. Sone. 7. Metaph. quæst. 31. Fonseca 5. Metaph. quæst. 3. Suar 1. Metaph. disp. 5. Ariag. d. 1. Metaph. sect. 3. a. 1. subf. Hier. de la Rua controvers. tom. 1. cap. 3.

Egidius verò hic, discussâ utrimque questione, concludit affirmativè, & individuationis eorum principium assignat quantitatem, explicatque quomodo eo non obstante dentur individua in genere substantiæ. Tandem argumentis in contrarium respondet. Hoc modo:



AD primum sic procedebatur, ostendebatur enim quod nihil esset in corporibus, propter quod individuari possent.

Quia ut dicebatur, individuatō vel est per unam formam, vel per plures, vel per materiam. Per unam aliquam formam non; quia illa vel esset substantialis, vel accidentalis: sed omnis forma tam accidentalis, quam substantialis est forma recepta in materia: omnis autem forma recepta in materia de se non individuatur: sed individuationem suscipit per id, in quod recipitur: ergo per nullam formam substantialem vel accidentalem esse potuit talis individuatō.

Præterea, ut dicebatur, hoc non poterit

terit fieri per plures formas simul: quia si quælibet forma recepta in materia de se non individuatur, sed de se est quid commune, cum plura communia non faciant unum speciale (quia commune non individuatur per commune, sed per speciale) plures tales formæ non poterunt ad individuationem sufficere.

Præterea hoc non poterit esse per materiam: quia illud, per quod individuatur individua, oportet esse indifferens in ipsis individuis. Materia autem, quantum est de se, est una numero in omnibus habentibus eam: nullo ergo modo per eam poterit esse talis individuatō.

IN CONTRARIVM est: quia cum hæc corporalia esse habeant individua, opus ea per aliquod individuari.

RESOLVTIO.

Cum per quantitatem fieri debeat pluralitas & individuatio, & materia specialiter sit causa & principium quantitatis, etiam dici debet principium individuationis.

Sub specie speciali non est pluralitas nisi individ.

Quæ sine individuatione intelligi non potest:

RESPONDEO dicendum, quod nos oporteat dicere, aliquid esse in corporibus, cui de se competat individuatō: & hoc sit quantitas. Quod sic declaratur; quia post speciem specialissimam non est descensus, nisi ad individua: omne ergo id, quod secundum se possumus intelligere esse plura in eadem specie, de se individuari habet: quia sicut participatione speciei plures homines sunt unus homo, sic secundum esse singulare & individuum sunt, non unus, sed plures: non ergo est intelligibile, quod sub communitate specifica sit pluralitas, nisi per individuationem.

Nunc autem sic videmus, quod si albedo, vel aliqua alia huiusmodi forma separaretur à proprio subiecto, non haberet, per quod posset plurificari: ergo albedini de se competit unitas; plurificatio autem ei competit per subiectum: quare de se individuari non habet: individuatur autem per subiectum, in quod recipitur: per quod etiam plurificatur.

De quantitate autem non sic: nam si quantitas haberet esse separatum ab omni subiecto, adhuc competere ei esse extensum, cum essentialiter competat ei ipsa extensio. Et si competere ei esse extensum, posset intelligi dividi posse, & divisa esse plura in eadem specie.

Non ergo dicendum, quod quantitas de se, habeat unitatem, at ex subiecto pluralitatem: quin potius dicendum quod secundum se possit ei competere pluralitas, sicut etiam quod sint plura alia in eadem specie, quod non esset, nisi de se competere ei individuatō.

Hoc ergo modo fit individuatō: quia materia habet esse extensum per quantitatem: & in diversis partibus materiæ recipiuntur diversæ formæ: forma dividitur, & divisa individuatur per materiam extensam. Sed cum extensio per quantitatem fiat, ad quantitatem est recurrendum, cum loqui volumus de individuatione corporum.

Ex hoc autem verificare possumus quidquid de individuatione dicitur. Nam licet materia subiecta cum forma sit causa omnium accidentium, quæ in ea sunt; ut dicitur *primo Physicorum*: aliqua tamen accidentia magis se tenent ex parte materiæ; aliqua verò magis ex parte formæ: ut quantitas specialiter se tenet ex parte materiæ. Materia ergo, quæ specialiter est causa & principium quantitatis, dicitur esse principium individuationis, quæ per quantitatem fieri debet.

Quare hoc etiam materiam ascribatur?

Rursus per quantitatem sunt corpora, hic & nunc: & ideo dicitur individuatō fieri per conditiones materiæ, quæ sunt hic & nunc. Patet itaque quomodo intelligendum sit, quod individuatō sit per materiam, vel quod sit per conditiones materiæ: quia in omnibus talibus est recurrendum ad quantitatem.

Sed tunc insurgeret considerabilis aliqua difficultas: quia si quælibet individuatō corporum sit per quantitatem, videtur quod nullum individuum sit in genere substantiæ.

Et quomodo alia ejus, & alia quantitatis extensio, & alia quantitas substantiæ individuatō.

Advertendum ergo, quod, sicut materia non est de se extensa, extenditur autem per quantitatem: nihilominus tamen alia sit extensio materiæ, alia extensio individuatō.

tenſio quantitatis: ſic licet individuetur, & ſignetur per quantitatem, ſubſtantia & hæc ſignatio ſit differens ab illa; alia tamẽ ſit ſignatio & individuatio ſubſtantia, & alia ſignatio & individuatio quantitatis. Igitur ſicut materia non habet partes, niſi per quantitatem: & aliaẽ ſunt partes materiae, & aliaẽ ſunt partes quantitatis; materia tamen habens partes non eſt aliud quàm materia: eò quod quẽlibet pars materiẽ ſit materia; ſic licet ſignatio in ſubſtantia ſit à quantitate; alia tamen eſt ſignatio ſubſtantia, alia ſignatio quantitatis: & ſubſtantia cum ſua ſignatione non dicit aliud, quàm ſubſtantia, ſed ſolùm ſuperaddit quendam modum ſe habendi, quem habet ſubſtantia ſub quantitate: ſicut materia habens partes non dicit aliud, quàm materiam; ſed ſolùm dicit quendam modũ ſe habendi, quem habet materia: ex eo quod perficiatur. Patet ergo, quomodo fiat individuatio? & quomodo individuatio non removeat res à proprijs prædicamentis?

QVOD AVTEM obijciebatur in contrarium, quod nihil ſit in corporibus, per quod poſſit fieri individuatio (quia omnis forma tam ſubſtantialis, quàm accidentalis individuatur ex eo quod recipiatur in ſubjecto) patet, hoc non eſſe univerſaliter verum: quia eſt dare aliquid in ipſis corporalibus, ut quantitatem, cui per ſe individuatio competit.

DISPUT. V.

De cœlo, quod eſt præcipuum inter entia purè corporalia.

De hæc materia agit Ægidius lib. 2. ſent. d. 12. & 14. item D. Thom. Scot. & reliqui Sententiarij. D. Thom. item 1. p. à q. 66. cum ſuis Sæctatorib. & Commentat. paſſim. item Scripturiſtæ in cap. 1. gen. Philoſophi verò lib. de cœlo.

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI XII.

Vtrum cœlum ex natura ſua ſit incorruptibile?

In ſpeciali hoc reſolvit Ægidius in 2. diſt. 12. 3. part. maximè quaẽſtione 5. & diſt. 14. part. 1. quaẽſt. 2. & in opusculo de mat. cœli, contra Aver. & 8. met. qq. 2. & 3. D. Thomas ibidem quaẽſt. 1. & quaẽſt. 2. Scotus diſt. 14. quaẽſt. 1. Bonavent. ibidem diſt. 12. quaẽſt. 1. Occ.

quaẽſt. 22. Gabr. quaẽſt. 2. Mairon. diſt. 14. quaẽſt. 2. Baſſ. quaẽſt. 1. D. Tho. citat. 1. part. quaẽſt. 66. art. 2. cum Sæctatoribus & Commentat. item Albert. Magnus part. 1. de quatuor cœvis quaẽſt. 4. art. 1. Alenſ. 2. part. q. 40. Tannerus tom. 1. d. 6. de creat. mund. quaẽſt. 2. dub. 6. Inter Philoſophos, poſt Ariſt. lib. 1. de cœlo cap. 3. & lib. 2. cap. 1. & lib. de mund. ad Alex. item Averroem de ſubſt. orbis cap. 2. & 8. metaph. cap. 4. Suarez d. 13. metaph. ſect. 2. Arriaga lib. 8. phyſic. d. un. cœleſti ſect. 3. Hurtad. de naturâ & eſſentiâ cœli ſect. 2. & 5. & Cominbr. lib. de cœlo cap. 3. quaẽſt. 1.

Ægidius verò poſitis hinc inde argumentis, & inde, relatis & rejectis duabus falſis opinionibus, concludit, cœlum negativè eſſe corruptibile, oſtenditque, quid dicendum ad argumenta in contrarium facta. His terminis.



Ecundò quaerebatur de eſſe cœli. Vtrum cœlum haberet eſſe incorruptibile? ARGVEBATVR autem, quod non: quia non poſſumus intelligere, cœlum habere eſſe perpetuum, niſi habeat totum ſuum eſſe ſimul.

Rurſus non poſſumus intelligere, cœlum habere eſſe perpetuum, niſi eſſe ejus duret in infinitũ; quare ſi cœlum ſit incorruptibile, habebit eſſe durans, & protenſum in infinitum totum ſimul: infinitum autem totum ſimul non poteſt eſſe in re finita; oportet ergo, quòd natura cœli ſit infinita, in qua poſſit recipi ſimul totum eſſe cœli, quod ponitur eſſe durans, & protenſum in infinitum: ſed nulla natura creata eſt infinita, ergo &c.

IN CONTRARIUM eſt: quòd ſecundũ Philoſophum lib. de Cœlo, & mundo, cœlum ſit perpetuum & incorruptibile, non patiens peregrinas impreſſiones, ergo &c.

RESOLVATIO.

Quamvis in ſe non contineat cœlum aliud quod principium poſitum, quo reddatur incorruptibile: attamen tale eſt per negationem principij corruptivi, privationis formæ & contrarietatis.

RESPONDEO dicendum, quod circa eſſe cœli, & circa ejus incorruptibilitatem, quantum ad præſens ſpectat, poſſit eſſe dupliciter falſa imaginatio: una quidem, quâ imaginaremur, eſſe ipſius cœli eſſe quid
D exten-

Duplex opin.

extensum, & continuum; licet motus, ratione magnitudinis suæ, est quid extensum & continuum. Et secundum hanc falsam imaginationem procedebat objectio facta.

Alia imaginatio circa incorruptibilitatem cœli posset esse, quâ crederemus, cœlum quidem esse de se quid corruptibile, at per virtutem aliquam existentem in cœlo perpetuò conservari à corruptione: ita quod fiat incorruptibile per aliquod principium positivum: sicut videmus, quod animal de se quidem sit corruptibile: at per virtutem animæ conservantis ipsum, præservatur per aliquod tempus à corruptione. Et secundum hoc procedebat objectio Iohannis Grammatici, ut narrat Commentator 12. metaphysices, qua volebat probare, quod in cœlo esset virtus infinita, si per infinitum tempus posset à corruptione præservari.

Reijcitur,

Non enim totus motus cœli recipitur simul.

Vtraque autem harum imaginationum falsa est. Non enim esse cœli est quid continuum, & protensum, sicut motus; si enim hoc esset, valeret objectio. Nam si cœlum haberet motum infinitum, & totus ille motus esset simul in cœlo, oporteret cœlum esse quid infinitum, ut posset simul sustinere motum infinitum: sed esse cœli non est quid protensum, & extensum, ut oporteat dare infinitam naturam, in quâ sustineatur tale infinitum esse: sed sufficit quod in suo esse, cœlum variationem non sustineat, ad hoc, ut maneat semper incorruptibile.

Et est tantum incorruptibile negativè

Rursum secunda imaginatio est falsa: non enim est cœlum incorruptibile per aliquod principium positivum præservans ipsum à corruptione; sed est incorruptibile per remotionem principij corruptivi. Et quia non est ibi privatio respectu formæ: & quia non est ibi contrarietas, quæ est ratio corruptionis, manet cœlum incorruptibile semper.

QVOD verò obijciebatur de infinitate, jam solutum est per dicta: non oportet enim dicere, ut tangebatur, quod esse incorruptibile sit quid protensum. Etsi tamen hoc sit admittendum: quod, si esse ejus esset quid protensum, tunc infinita esset natura cœli, in qua posset simul recipi tam extensum & protensum esse.


QVÆSTIO II.

QVODLIBETI XIII.

Vtrum oporteat cœlum aliquando ex natura sua quiescere?

Resolvi hæc quæstio, debet ex ijs quæ latè tractat Ægidius, in 2. d. 14. p. 6. multis quæstionibus. Argentinas q. un. art. 1. D. Tho. in 4. d. 48. quæst. 2. art. 2. & 3. contra gent. cap. 23. & cum eo ibid. Ferrarfenfis. Scotus in 4. dist. 48. quæst. 2. Durandus in 2. d. 14. quæst. 2. Ricard. quæst. 6. Bonavent. art. 3. Gabr. art. 3. d. 2. Capreolus d. 9. quæst. 1. art. 3. D. Thomas item in additionibus quæst. 91. art. 2. Suarez 1. p. tom. 2. dist. 58. sect. 1. inter Philosophos Avicenna lib. 9. metaph. cap. 2. Sencinas 12. metaph. quæst. 11. Hurtado disp. 2. de cœlo sect. 2. Arriaga quæst. un. cœlesti. Conimbr. lib. 1. de cœlo cap. 2. quæst. 3. & alij alibi.

Ægidius verò hic, propositis hinc inde argumentis, resolvit negativè, explicans, unde contingat fatigatio? tamen occurrit argumento in contrarium facto. Proponens hoc modo.



Tertio quærebatur de motu cœli; Vtrum oporteat ipsum aliquando desinere per naturam?

ARGVEBATVR autem, quod sic. Nam

omnem virtute, cui accidere potest poena, vel labor in movendo, oportet aliquando quiescere, & cessare à motu: sed talis est virtus cœli, cui potest accidere labor & fatigatio in movendo Quia secundum Philosophum, lib. de cœlo & mundo, si adderetur una stella ipsi orbi, motor ejus moveret cum labore & poenâ; ergo motori cœlesti poterit accidere poena & labor in movendo: quare oportet aliquando cœlum quiescere.

IN CONTRARIUM est Philosophus octavo physic. ubi probat motum cœli esse perpetuum & æternum; quod non esset, nisi motus ejus perpetuari posset.

RESOLVTIO.

Cum motor cœli immediate jungatur cœlo per potentiam intellectivam, non organicam; motus ab ea procedens est absque fatigatione, & poena: & consequenter, non est necesse eum ex naturæ exigentia aliquando cessare. Quamvis hoc aliquando futurum sit per divinam voluntatem.

RES.

Omnis substantiâ habet aliquam virtutem:

Et earum una mediante altera potest alicui corpori conjugî.

Ex cuius diversitate contingit fatigatio in uno, & non in altero.

Quando fiat?

Et quare?

RESP. dicendum, quòd omnem substantiam intellectualem, vel rationalē consequatur aliqua virtus, & aliqua potentia; alioquin esset dare substantiam otiosam. Et cum virtus & essentia se habeant secundum quendam ordinem; si hæc conjugatur corpori, oportet, hoc secundum quendam ordinem esse: vel ergo conjungatur corpori virtus mediante substantiâ, vel substantia mediante virtute: & secundum alium & alium modum conjunctionis, aliter & aliter loquendum est de actione egrediente à tali virtute.

Inde est, quòd, quia in homine potentia & virtus intellectiva conjungitur corpori mediante substantiâ: in cœlo verò, è converso, substantia intelligentiæ conjungitur mediante virtute, in motu cœli non accidat fatigatio: nec oporteat, cælum quiescere per naturam: in motu autem hominis accidat fatigatio, & oporteat, humanum corpus per naturam quiescere, nec possit naturaliter perpetuari motus ejus.

SED petet aliquis, quo modo sciri possit, quando substantia intellectualis conjungatur mediante potentiâ, & quando è converso?

RVRSVS quæret aliquis, quare, cum substantia conjungitur mediante potentiâ, non accidat poena in movendo? cum autem è converso fit, oporteat motum interrumpi, & non possit esse absque fatigatione & poenâ?

Advertendum ergo, quod numquam conjungatur substantia intellectualis vel rationalis corpori, nisi ex tali substantiâ & corpore fiat aliquo modo unum: fieri autem unum ex substantiâ intellectuali & corpore, potest intelligi dupliciter: scilicet, vel secundum esse, vel secundum operationem: si fiat unum secundum esse, cum esse immediate respiciat essentiam, oportebit secundum talem unionem prius conjungi essentiam, & mediante essentia conjungi potentiam. Sed si non fiat unum secundum esse, sed secundum operationem; cum operatio immediate respiciat potentiam & virtutem, oportebit prius conjungi corpori potentiam, & mediante potentiâ conjungi substantiam.

Cum ergo ex animâ rationali & cor-

pore humano fiat unum secundum esse; oportet animam rationalem humano corpori conjungi prius secundum substantiam, & mediante substantiâ, oportet conjungi corpori intellectivam potentiam.

In cœlo verò, ubi ex motore cœli, & corpore cœlesti non fit unum secundum esse, sed secundum operationem, ut planè probat *Comment. 8. metaph. & in l. de subst. orbis*: oportet modum esse contrarium: ita quod ipsi cœlo prius uniatur virtus & potentia, & mediante virtute & potentiâ uniatur ei substantia.

HOC VISO, facilè apparet, quare motum corporis humani oporteat esse cum labore & poenâ? motum verò cœli absque labore esse conveniat? nam potentia intellectiva animæ rationalis non immediate conjungitur corpori: & cum numquam fiat motus corporis, nisi aliqua virtus, vel aliqua potentia immediate attingat ipsum corpus, non sufficit potentia intellectiva animæ, vel aliqua alia ejus potentia non organisata ad movendum corpus; idque, quia hæc potentiæ non organisatæ non conjunguntur corpori immediate: sed mediante substantiâ animæ.

Vt ergo fiat motus corporis, oportet dare aliquam potentiam organicam, quæ immediate attingat corpus, & mediante quâ, corpus possit moveri: & quia omnis virtus organica in movendo fatigatur; oportet in humano corpore fatigationem accidere. Et inde est, quod non sufficiat ad movendum corpus humanum intellectus & voluntas, vel aliqua alia virtus organica: sed oporteat dare aliam virtutem organicam; utpote virtutem in musculis & nervis, mediante quâ fieri debeat motus talis. Sed cum motor cœli immediate conjungatur cœlo per potentiam intellectivam, vel per potentiam non organicam; cum virtus non organica non fatigetur in movendo, talis motus absque fatigatione & poenâ esse poterit. Igitur non oportet naturaliter motum cœli quiescere. Quiescet tamen aliquando, non quidem naturaliter, sed per divinam potentiam, ut testatur fides Catholica.

Offenditur in corpore cœlesti, & humano.

Quia hoc movetur per potentiam organicam quæ fatigatur.

Non istud.

Labor significat aliquando improprietatem.

AD HOC autem, quod obijcietur in contrarium, quod si adderetur una stella corpori cœlesti, quod motor ejus moveret cum labore & poenâ, Dici debet: quod labor & poena non sint accipienda absolutè, sed pro quadam improprietate: ut dicatur; quod, si stella aliqua adderetur orbi, esset ibi labor & poena, id est improprietio moventis ad mobile.

DISTRIBUTIO QVÆST.

SEQUENTIVM.

POSTEA quærebatur, de naturâ compositâ ex corporali & spiritali, ut de homine: homo autem dupliciter potest considerari, primò ut est in statu viæ, secundò ut est in statu patriæ; de utroque enim statu dubitabantur aliqua. Quærebantur enim aliqua pertinentia ad statum patriæ: aliqua verò pertinentia ad statum viæ. Secundum quidem statum viæ, potest homo dupliciter considerari; scilicet quantum ad corpus, & quantum ad animam. Quantum ad animam, potest etiam considerari dupliciter: primò quidem secundum omnes potentias generaliter, secundò quantum ad aliquas potentias specialiter. Vtteriùs, secundum speciales potentias, potest anima considerari dupliciter: primò secundum potentias organicas, secundò quantum ad potentias non organicas.

Exceptis ergo quæstionibus factis de potentijs non organicis, erat quæstio de homine, quantum ad statum viæ; primò enim quærebatur de eo quantum ad corpus: & erat quæstio, Vtrum corpus hominis perfectè organisatum, & summè dispositum ad animam rationalem, donec infundatur ibi talis anima, sit in aliquâ specie animalis? Secundò quærebatur de homine, quantum ad omnes potentias universaliter: & erat quæstio secundum communem modum potentiarum animæ, cum non distinguantur secundum numerum septenarium, Vtrum sic distinguantur vitia? &, utrum sit dare tantum septem genera peccatorum, & non plura, neque pauciora? Tertiò quærebatur de potentijs animæ organicis;

& erat quæstio de linguâ, Vtrum sermo sit homini naturalis? Sit ergo

DISPUT. VI.

*De corpore humano secundum se,
& ejus formatione.*


QVÆST. VNICA

QVODLIBETI XIV.

*Vtrum corpus hominis perfectè organisatum,
& summè dispositum ad animam rationalem, ante infusionem animæ rationalis, sit in aliqua specie animalis?*

Quæstio hæc resolvi debet ex ijs quæ habet Ægidius in 2. dist. 17. varijs quæstionibus, & dist. 18. varijs etiam qq. quas habet ibidem de ratione & virtute seminali. Et dist. 19. qq. 10. 11. 12. item lib. de formatione humani corporis in utero. Et Greg. Arim. d. 17. q. 2. eam tractat etiam D. Thomas 1. p. quæst. 76. art. 3. ad 3. & quæst. 118. art. 2. ad 2. & multi ex ejus discipulis, & Commentator: & 2. contra gent. cap. 89. Ex Philosophis Hurtado, de generat. d. 2. sect. 8. Arriaga de animâ d. 1. sect. 12. Conimbr. lib. 2. de animâ cap. 1. quæst. 4. ex Aristot. ab alijs adducto, Petrus Garfia d. 38. cap. 2. Frenus, & Gardin de animatione. forus, & in Apologiâ. Sennertus Hypomnematum phys. hypomn. 4. ferè per totum, ubi varios citat.

Ægidius autem hic controversam hinc inde quæstionem clarissimè resolvit exemplo papilionis, qui ex verme generatur, ex cuius formâ substantiali vermis. Tandem argumentis in contrarium factis respondet. His verbis



AD primum sic procedebatur, ostendebatur quidem corpus perfectè organisatum, & summè dispositum ad animam rationalem, ante infusionem animæ, non esse in aliquâ specie animalis: quia, ut dicebatur, homo, quantum ad interiora, maximè assimilatur porco: quantum ad exteriora verò, urso vel fimia: si ergo tale corpus sit organisatum; cum non sit homo, quia positum est non habere animam rationalem, si sit in aliquâ specie, vel erit porcus, vel ursus, vel fimia: sed non est aliquid horum; ergo &c.

IN CONTRARIUM est: quia nihil est

hil est in genere, quod non sit in aliqua specie, ut dicitur topic. 6. sed embrio ante infusionem animæ rationalis vivit vitâ animalis; ergo est in genere animalis, & per consequens in aliqua ejus specie.

R E S O L V T I O.

Cum in formatione hominis corpus ejus successivè tribus animabus informetur: primò vegetativa, secundò sensitiva, tertio intellectiva, quarum posteriore accedente recedat prior; quam virtute continet: Dicendum, ante infusionem animæ rationalis illud corpus esse in aliqua specie animalis &c. non quidem perfecta, sed imperfecta.

1. Opinio
neg.

RESPONDEO, dicendum, fuisse opinionem quorundam, in embione hominis non esse substantiâ animæ sensitivæ, vel vegetativæ ante infusionem animæ rationalis. Quod autem ibi apareât opera vitæ, quando embrio ante infusionem animæ rationalis augmentatur: vel etiam quando apparent ibi opera sensûs; quandoquidem embrio ante infusionem animæ, si pungatur, se retrahat, (ut dicunt) hoc esse per virtutem vegetativam, vel sensitivam, absque substantiâ sensitivâ vel vegetativâ.

Eliditur.

Sed hæc positio seipsam interimir; non minùs enim stultum est, ponere virtutem talem absque substantiâ, quàm de eodem impossibilia concedere.

Ratio quæ-
stionis mo-
ta.

Ideò dicere possumus, quod hæc quæstio videatur introducta propter pluralitatem formarû; videbatur enim opponenti, quòd si esset possibile, ponere plures formas in composito, quòd possemus salvare, embriorem fuisse animatum ante infusionem animæ rationalis, sed si non esset nisi una forma in composito, non videretur possibile ante infusionem animæ rationalis ponere, embriorem fuisse animatum.

Insufficiens
ad proban-
dum inten-
tum.

SCIENDVM est ergo, quòd etsi vera esset positio de pluralitate formarum, non tamen oporteret in embione ponere plures animas: dicere-
mus enim, embriorem per aliam & aliam formam esse corpus, & anima-
tum: vel diceremus, quod homo per

aliam & aliam formam sit homo & corpus: sed non per aliam formam sit homo & animal; ita quòd homo habeat duas animas: & per unam animam sit animal, per aliam verò homo; sed una & eadem anima sit, quæ det homini, quod sentiat: & alia det ei, quod ratiocinetur, & intelligat; & prout dat ei, quòd sentiat det ei, quod sit animal: prout verò dat ei, quod ratiocinetur, & intelligat, det ei quod sit homo.

2. opin. au-
thoris aff.

HOC ERGO modo imaginari debemus, quòd in embione primò introducatur anima vegetativa, tuncque dicatur vivere vitâ plantæ: postea introducatur anima sensitiva; quâ introducta, vegetativa cedat; idque quia sensitiva potest quidquid potest vegetativa, & adhuc ampliùs. Ultimò autem introducatur intellectiva, quæ possit quidquid potest sensitiva, & adhuc ampliùs: hæc autem introductâ, ut communiter ponitur, cedat sensitiva in potentiam materiæ.

Succedunt
invicem di-
verse ani-
mæ.

Sic namque, secundum Philoiph. lib. 2. de animâ, est vegetativum in sensitivo, & sensitivum in intellectivo, sicut trigonus in tetragono, & tetragonus in pentagono: trigonus autem non est in tetragono actu (quia tetragonus est actu una figura tantum) sed trigonus est in tetragono, virtute; quia omnes angulos, quos habet trigonus, habet tetragonus, & adhuc plures. Sic sensitivum dicit unam animam tantum: & intellectivum unam animam tantum; vegetativum tamen est in sensitivo, & sensitivum in intellectivo, virtute: quia quidquid potest vegetativum potest sensitivum, & adhuc ampliùs: & quidquid potest sensitivum potest intellectivum, & adhuc ampliùs. Possumus ergo salvare in homine plures formas, absque eo quòd salvemus ibi plures animas.

Quomodo
sensitivum
contineat
vegetat.
&c.

Cum igitur quæritur, Vtrum corpus summè dispositum ad introductionem animæ rationalis, ante infusionem talis animæ, sit in aliqua specie animalis? patet, quòd sic; cum in hujusmodi corpore habeat esse anima sensitiva; non tamen est in specie animalis perfecta, sed imperfecta.

Directè
responde-
tur quæst.

ET VT sensibilibiter appareat, quod quæritur, Sciendum est, quòd id, quod

Et explica-
tur exem-
plo.

Papilionis

Ante sui
productio-
nem exi-
stentis sub
aliâ specie
animalis
imperfe-
cta.

videmus in generatione hominis, videamus etiam in generatione aliquorum animalium; videmus enim generari aliquos vermes, & deinde illos vermes corrumpi, & ex corruptione illa effici quoddam animal alatum, quod communi nomine vocatur papilio. Sicut igitur ante generationem papilionis, vermis ille erat animal, & erat in aliqua specie animalis (licet fortè illam speciem nominare nesciremus) sic ante generationem hominis, corpus illud animatum animâ sensibili, quod erat summè dispositum ad introductionem animæ rationalis, erat animal ante infusionem rationalis animæ, & erat in aliquâ specie animalis: illi tamen speciei (sicut etiam in multis aliorum animalium alijs speciebus contingit) nondum est nomen impositum, & consequenter eam nominare nescimus.

AD HOC verò, quod obijciebatur, quod si esset animal, vel esset porcus, qui similitur homini, quantum ad interiora, vel ursus vel simia, quæ similitur homini, quantum ad exteriora, Dicendum est, quòd corpus sic organisatum non solum debeat poni animal, quod similetur homini: sed quòd sit in propinqua dispositione, ut fiat homo: hujusmodi autem non est porcus, nec simia, nec ursus: quia talia, etsi similentur homini; non tamen sunt in propinqua dispositione, ut fiant homo.

DISPVSTAT. VII.

De ijs quæ spectant ad potentias hominis in via constituti.

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI XV.

Vtrum sint tantum septem genera peccatorum mortalium?

Hujus quæst. resolutio major petenda est ex Ægid. in 2. d. 42. qq. 6. 7. 8. D. Thom. ibid. quæst. 2. a. 2. & 3. Scoto ibid. q. 5. & d. 6. quæst. 2. Bonavent. ibid. dub. 3. circa lit. Durand. q. 5. Ricard. circa lit. in fin. D. Thom. 1. 2. q. 84. a. 4. cum ejus Sect. & Comment. Legatur insuper de hac re Gregor. 31. mor. cap. 17. & Isidorus 2. de summo bono c. 37. eam tractant latè Casuistæ semè omnes, ubi de peccatis capit.

Ægidius verò hic, motis utrimque rationibus dubitandi, assignat diversas considerationes, diversaque principia, unde desumi possit connexio, vel distinctio peccatorum; secundum quæ diversimodè peccatum, à diversis, in varia membra divisum est. Et postquam inde ostendit bonitatem hujus divisionis, respondet ad dubitandi rationes positas. Et sic incipit



Ecundò quærebatur de homine quantum ad potentias animæ: & erat quæstio; Vtrum sint septem genera peccatorum mortalium?

ET ARGVEBATVR, quod non debeant distingui septem genera peccatorum mortalium, sed duo tantum: quia super illud Psal. *Incensa igni, & suffossa*. Vult August. *quod omne peccatum vel procedat ex accensione, id est, ex amore malè inflammante: vel ex suffossione, id est, ex timore malè humiliante*: ergo tantum duo sunt peccata capitalia; scilicet, amor malè inflammans, & timor malè humilians.

Præterea, ut dicebatur, videtur quod tantum sint tria genera peccatorum capitalium: quia, ut dicitur 1. Ioan. c. 2. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentiâ carnis, vel concupiscentiâ oculorum, vel superbia vitæ*. Ergo, si ad ista tria reducuntur omnia, quæ sunt in mundo: etiam omnia peccata: ergo tria tantum sunt genera peccatorum. Et confes-
quenter.

IN CONTRARIVM est: quia super Proverb. 6. *Sex sunt, quæ odit Deus, & septimum quod maxime detestatur anima ejus*, ait Glossa (ut dicebatur) *septem esse genera peccatorum capitalium*. Ergo &c.

RESOLVTIO.

Quamvis peccata mortalia, quoad suum formale & principale, quod est aversio à bono incommutabili, sint inter se connexa & indistincta: tamen quoad suum materiale, quod est conversio ad bonum commutabile, pro diversitate generica bonorum commutabilium, rectè dividuntur in septem peccata capitalia.

RES-

Punctum
difficulta-
tis.

Omne
agens
intendit
aliquid
bonum.

RESPONDEO, Dicendum, quòd, si velimus scire, quomodo distinguenda sint peccata? oporteat nos intelligere: primò, quid sit materiale, quid formale in peccato? inde, quomodo peccata sint connexa & distincta.

SCIENDVM igitur, secundum *Dionysium*, *Omne agens intendere aliquod bonum*. Sed bonum intentum vel potest esse bonum existens, & incommutabile: vel apparens, & commutabile.

Cùm autem in actibus nostris avertimur à bonis commutabilibus, & convertimur ad bonum incommutabile, benè agimus, & meremur: cùm verò è converso, peccamus & demeremur.

In peccato igitur (ut communiter ponitur) duo sunt; aversio à bono incommutabili, & conversio ad bona commutabilia. Ex parte autem aversionis peccata habent unionem: quia unum est bonum incommutabile; scilicet Deus ipse, à quo omnia peccata avertunt. Sed ex parte conversionis, peccata non oportet esse connexa: quia non est unum tantum commutabile bonum, ad quod peccata convertunt: sed per diversa genera vitiorum diversimodè fit conversio ad commutabilia bona.

Advertendum tamen est, quod, licet omne peccatum avertat & convertat; aversio tamen & conversio non sint æquè principalia in peccato: sed aversio fit quid formale in peccato; conversio verò quid materiale. Et quia ratio rei principalis est à forma, quàm à materia, etiam ratio peccati principalis est ex aversione, quàm ex conversione. Quare, etsi peccata ex parte aversionis sint connexa; tamen dicere non possumus, ex parte conversionis habere connexionem: quantumvis eam habeant ex eo, quod est in eis formale, vel ex eo, ex quo principalis sumitur ratio peccati, scilicet ex aversione.

Hocque est, quod considerans *Iacobus in secundo capite sue canonice* ait; *quicumque autem totam legem servaverit: offenderit autem in uno, factus est omnium reus*. Quia factus est reus in illo, à quo omnia peccata habent, quòd sint peccata; nam si omnia peccata in tantum sint peccata, in quatum à Deo avertunt; cùm unumquodque peccatum avertat à Deo, per unumquodque fit unusquisque reus

omnium: quia fit reus in avertendo se à Deo, à quo omnia peccata habent, quòd sint peccata.

Itaque sicuti, si consideretur intentio legislatoris; cùm legislator unum peccatum prohibet, omnia peccata prohibet: sic, si consideretur mala operatio peccantis; cùm in uno malè operatur, quodammodo in omnibus malè operatur; nam qui dicit, *non machaberis*, machiam prohibuit: sed cùm prohibuerit eam, quia à Deo avertit; cùm omne peccatum à Deo avertat, eam prohibendo, quodammodo omne peccatum prohibuit. Quare huiusmodi præceptum violando, quodammodo omnia mandata violavit. Huiusmodi autem ratio est, quam *Iacobus* ibidem assignat; nam, quando dixerat, *qui offendit in uno, factus est omnium reus*, subdit assignans causam dicti; quia, qui dicit, *non machaberis*, dicit, *non occides*; nam quando dicit, *non machaberis*, causam ponit formalem, cur non liceat occidere; scilicet quia machia à Deo avertit. Dicendo ergo *non machaberis*, dixit, *non occides*; nam quando dicit, *non machaberis*, causam ponit formalem, cur non licet occidere; scilicet quia machia à Deo avertit. Dicendo ergo, *non machaberis*, dixit, *non occides*, & prohibendo machiam prohibuit homicidium: idque, quia homicidium avertit à Deo, sicut & machia. Inde est, quòd, qui prohibet unum peccatum, quodammodo prohibeat omnia peccata, & malè faciens in uno, quodammodo malè faciat in omnibus: hoc autem contingit ex eo, quod peccata ex parte aversionis connexionem habeant: à qua aversione sumitur illud, quod est formale, & quod est principalis in peccato.

Viso nunc, quomodo peccata habeant connexionem, & quomodo diversitatem? & quid sit formale? & quid sit materiale in peccato? facile patere potest, quomodo accipienda sint genera peccatorum? propter quod quæstio proposita principaliter est introducta.

Ad cuius evidentiam, advertendum, quòd peccatum sit quædam privatio: quia secundum *Augustinum* 12. de civit. Dei; & secundum *Dionysium*, malum non est, nisi privatio boni: privatio autem est negatio in subiecto, ut dicitur 4. Metaph.

Pecca-

Diversus
peccatorum
respectus.

Aversio.

Conversio.

Illud est
formale
hoc mater.
in peccatis.

Quæ ex
parte illius
sunt con-
nexa, non
hujus.

Hinc illud
Iac. 2.

Ad subje-
ctum.

Peccatum ergo potest comparari ad subiectum, in quo existit; cum sit privatio, vel negatio in subiecto.

Ad suum
materiale
& formale.

Rursus, ut patet per habita, potest comparari peccatum ad aversionem, & conversionem, quorum unum est ibi formale, & aliud materiale.

Ad diversa
genera bo-
norum
comm.

Amplius cum ex parte aversionis peccata sint quodammodo connexa, ex parte verò conversionis inconnexa sive diversa, poterunt peccata comparari ad diversa genera bonorum, ad quæ convertunt.

Ad diversas
conditiones
boni com-
mutabilis.

Uterius, quia bonum unum & idem potest accipi secundum varias conditiones, poterunt comparari peccata ad diversas conditiones boni commutabilis.

Hinc qua-
drupliciter
dividitur
peccatum.

Hæc præmissa tamquam præambulis, ad quæstionem dicere possumus; quòd, quantum ad præsens spectat, quadrupliciter possint distingui peccata, primò ex diversitate subiecti, secundò ex diversitate formalis & materialis, tertio ex diversis generibus commutabilium bonorum, quartò ex diversis conditionibus commutabilis boni.

1. In tria.

Secundum primum modum, assignantur tria genera peccatorum: videlicet, concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ. Quan-

2. In duo.

tum ad secundam diversitatem, assignantur duo vitia capitalia, superbia & cupiditas. Quantum verò ad diversita-

3. In sep-
tem.

tatem tertiam, dicuntur esse septem vitia capitalia; ut, superbia, ira, gula, avaritia, invidia, acedia, luxuria. Quantum verò ad diversitatem quartam, assignantur etiam duo modi peccandi; videlicet, timor malè humilians, & amor malè inflammans.

4. In duo
genera.

Declaratur
1. ex tripli-
ci animi po-
tentia.

Primum sic patet: quia potentiæ animi, in quibus habet esse peccatum, communiter distinguuntur per rationalem, concupiscibilem, & irascibilem: ad rationalem autem pertinere videtur concupiscentia oculorum; nam velle habere divitias, velle habere aurum, argentum, & pecuniam, bruta animalia non curant; cum istæ sint divitiæ artificiales, ut dicitur 1. *Polit.* quas non appetunt nisi rationem habentia: unde dicere possumus, concupiscentiam oculorum ad rationalem pertinere. Concupiscentiam autem carnis

planum est pertinere ad concupiscibilem. Superbiâ verò vitæ ad irascibilem.

Secundum quidem patet: nam, cum in omni peccato sit aversio & conversio, in omni peccato est quodammodo superbia & cupiditas: superbia quidem ratione aversionis, cupiditas verò ratione conversionis; nimis enim est superbus, qui nolens Deo subesse avertit se ab eo. Et rursus nimis est cupidus, cui non sufficit Deus, sed spreto Deo quærit commutabile bonum. Secundum hoc ergo distinguitur omne peccatum in cupiditatem & superbiam: unde scriptum est; *Radix omnium malorum est cupiditas.* Hinc rursus Scriptura testatur; quòd *initium omnis peccati sit superbia.* Superbia interim & cupiditas possunt esse specialia peccata; ut nimirum circumconcernunt specialē materiam: hic tamen sunt conditiones generales peccatorum omnium, ut nominant, sive dicunt aversionem & conversionem, quæ reperiuntur in omnibus peccatis.

Patet ergò, quòd, sicut prima distinctio peccatorum; videlicet, quæ omne peccatum vel est concupiscentia oculorum, vel concupiscentia carnis, vel superbia vitæ, sumitur ex diversitate subiectorum, sic secunda distinctio, videlicet, quòd in omni peccato sit cupiditas & superbia, sumatur ex parte ejus, quod est materiale & formale in omni peccato.

Tertia autem distinctio peccatorum, in qua enumerantur septem vitia capitalia, est secundum diversa genera bonorum commutabilium, ad quæ peccando convertimur.

AD CVIVS evidentiam, sciendum est, quòd ipsum fugere malum habeat quadammodo rationem boni. Deinde, quòd omne peccatum sumatur, vel ex eo, quod velimus adipisci aliquod bonum, verum vel apparens: vel ex eo, quòd velimus fugere aliquod simile malum. Si ex eo, quòd velimus adipisci aliquod bonum, sic sunt quatuor vitia capitalia: videlicet, superbia, avaritia, luxuria, gula: si verò ex eo, quòd velimus fugere mala, sic sunt tria; videlicet, invidia, ira, & acedia.

In universum ergo septem sunt vitia capitalia: quatuor respectu adeptionis boni

2. Ex
versione
in quæ
superbia
conversio
quæ cupi

Vt sunt
condit.
peccato

3. Ex di
gen. bon
um con

Sunt 4. q
volumus
adipisci
num.

3. Quia
gere ma

Resp. adej

boni

boni, veri vel apparentis, & tria respectu fugæ similis mali. Illorum quidem quatuor vitiorum distinctio respectu adeptionis boni sic sumitur: quia ex huiusmodi actu vel potest confurgere bonum speciei; & sic est luxuria: vel bonum individui: & hoc tripliciter; quia bonum individui vel est bonum animæ, ut honor, vel corporis, ut alimentum, vel est bonum exterius; ut pecunia. Igitur peccando, vel quæritur honor & excellentia, & sic est superbia: vel quæritur alimentum, & sic est gula: vel quæritur pecunia, & sic est avaritia. Insuper alio adhuc modo possunt distingui quatuor vitia respectu adeptionis boni: quia omne bonum vel est honorabile, vel utile, vel delectabile: si ergo peccando quæritur bonum honorabile, sic est superbia: si utile, sic est avaritia: si verò delectabile, vel illa delectatio potest ordinari ad bonum speciei, & sic est luxuria: vel ad bonum individui, & sic est gula. Quatuor ergo erunt vitia respectu adeptionis boni.

Resp. fugæ mali. Respectu autem fugæ mali erunt tria capitalia peccata. Nam huiusmodi fuga mali vel est respectu boni nostri, vel respectu boni alterius: si respectu boni nostri, veri vel apparentis, sic est Acedia; nam Acedia contingit, in quantum desistimus ab aliquo spiritali bono, ratione laboris annexi; ut, si quis nollet dicere horas, vel facere aliquod bonum opus spirituale ratione laboris & tædij, quæ concomitari possunt huiusmodi bonum opus: Acedia ergo sumitur ex eo, quod vitetur aliquod malum, ut aliquis labor corporalis, quod vitare, credimus, esse bonum nostrum. Si verò huiusmodi fuga mali sumatur respectu boni alieni: vel hoc erit absolute & simpliciter, & sic est invidia: vel in comparatione ad vindictam, & sic est ira. Invidia equidem ex hoc confurgit, in quantum tristamur de alienis bonis, quia credimus huiusmodi bonum esse malum nostrum: &, quia volumus fugere malum nostrum, invidemus aliorum bonis. Ira verò vult aliorum malum, & iratus tristatur de aliorum bonis, non simpliciter & absolute, ut odiens & invidens, sed in comparatione ad vindictam. Ideò dicitur se-

cundo Rethor, quòd ira satietur; nimirum quando malefaciens tantum passus est, ut videatur irato satis punitus. Invidia verò & odium non sic satiantur.

Itaque cum per aliena mala multoties credamus nos effugere posse mala propria, triplex erit vitium capitale respectu fugæ mali: quippe vel volumus fugere mala nostra in se, & sic est Acedia: vel volumus fugere huiusmodi malum volendo, malum alterius simpliciter & absolute, & sic est invidia: vel volumus fugere huiusmodi malum in ordine ad vindictam, & sic est ira.

OSTENSO nunc, quomodo accipiat distinctio peccatorum ex diversitate subjecti, & ex distinctione materialis & formalis, & ex diversis generibus bonorum commutabilium.

Restat videre quomodo accipiat huiusmodi distinctio ex diversitate conditionum, quæ possunt esse in ipsis commutabilibus bonis. Quantum ex diversitate conditionum declaratur.

Vbi advertendum, quod bona commutabilia, quæ possunt alicui contingere, vel sint acquisita, & sint actualiter in nobis: vel sint acquirenda, & habeamus ea tantum in potentia. Si ergo aliquid faciamus propter bona commutabilia, vel hoc est, quia timeamus amittere bona commutabilia, quæ habemus: vel est quia volumus acquirere, quæ non habemus. Et sic facile patet, quomodo omne peccatum procedat ex timore male humiliante; quia nempe timeamus amittere bona commutabilia quæ habemus: vel procedat ex amore male inflammante; quia nempe volumus acquirere, quæ non habemus.

ARGVMENTA autem procedebant suis vijs; nam cum dicebatur, quod genera peccatorum essent septem, & tria, & duo, patet verum esse; alio tamen & alio modo.

QVÆSTIO II.

QVODLIBETI XVI.

Vtrum sermo sit homini naturalis?

Qvæstio hæc resolvitur potest ex ijs quæ habet Ægidius in 2. sent. dist. 8. q. 16. & dist. 10. à quæst. 7 ubi laudat agut de locut. Angel. & dicit eos loqui per signa spiritalia ar

lia artificialia, & ex ijs quæ habet in l. 2. de animâ c. 89. & in l. 1. politic. De locut. Angel. tractant D. Bon. in 2. d. 10. a. 3. q. 1. & 2. Scotus d. 9. q. 2. Ricard. 2. 1. q. 1. Occam 2. 2. q. 20. & quodl. 1. q. 7. Gabr. q. 2. Alenf. 2. p. q. 27. m. 1. & 2. Gregor. Arim. in 2. d. 9. & 10. q. 2. & alij passim Sentent. D. Thom. p. 1. q. 107. a. 3. & ibid. Comment. & Discip. Vasq. d. 211. Alarc. tract. 6. de Angel. d. 4. ubi docet locutionem Angelorum fieri per signa artificialia. Et in particulari de ferm. & linguâ humanâ videndi Commentatores in gen. c. 2. vers. 19. & 20. item in cap. 11. vers. 1. Pererius, à Lapide, Marius. Et hic longè latèque in Prologom. q. 8. Hier. de la Rua tom. 1. contr. cont. 1. pos. d. 13. & cont. 3. d. 24. De primatu autem linguarum diserte & jucundè Goropius Becanus, & Adrianus Scrieckius speciales libros ediderunt. Eandemque materiam tractat Theodoretus. Videantur etiam Naturaliste qui de vocibus avium varia tradiderunt, & Philosophi locis hic ab Ægidio citatis.

Ipse verò Ægidius hic, positis argumentis pro & contra, juxta Phylsoph. explicat, quomodo partim à natura, partim ab arte sermo competat homini, exemplo punitionis malefactorum. Deinde ostendit qualiter habeant veritatem argumenta posita. Et ita prosequitur.

 Ertiò quærebatur; *Vtrum sermo sit homini naturalis?* Et arguebatur, quod sic: quia (ut dicitur) 2. de anim. *Lingua congruit ad duo opera natura, scilicet in gustum, & locutionem; ergo locutio est opus naturæ, & sermo est naturalis.*

IN CONTRARIUM est: quia, quod est ad placitum non est naturale: sed loqui est homini ad placitum, ut vult *Philos. 1. Peryarm.* ergo &c.

RESOLVTIO.

Cum homo sit animal politicum, politia autem exerceatur sermone; voces tamen significant ad placitum: Dicendum est, sermonem, quoad substantiam vel genus, esse homini naturalem; non tamen quoad speciem, vel modum.

Homini
qui natura-
liter animal
Polit.

RESPONDEO dicendum; quod, secundum *Philos. 1. Politic.* homo sit naturaliter animal politicum & civile: & cum civitas sit ordo civium, qui à legislatore imponitur, in quantum cives secundum debitas le-

ges regulantur tamquam ab eo, qui præest civibus: & cum talis regulatio fieri debeat per sermonem: oportet etiam sermonem competere homini naturaliter. Vnde & *Philos. 1. Politic.* ubi ostendit, hominem esse naturaliter animal politicum, ait, quod homini sermonem natura dederit: cogimur ergo dicere, quod sermo aliquo modo sit naturalis homini.

Rursus oportet nos fateri, sermonem esse aliquo modo ad placitum. Nam ille idem *Philos.* qui primo *Politic.* dicit sermonem competere homini à naturâ, 1. *Peryarm.* ait, quod *litteræ & voces sint ad placitum, & non sint eadem apud omnes: intellectus autem & res sint à naturâ, & sint eadem apud omnes.*

IGITUR, ut hæc controversia tolleretur de medio, sciendum est, quod, ubi terminatur natura, ibi incipiat ars; ars enim præsupponit naturam, & est aliquid superadditum naturæ: sicut ergo se habet voluntarium ad naturale: vel sicut se habet ars ad naturam, ita se habet artificiale ad naturale: cum ergo invenimus aliqua, quorum unum præsupponit aliud: vel cum invenimus unum & idem, quod uno modo acceptum præsupponit seipsum alio modo consideratum, tunc illud, quod ita seipsum præsupponit, habet sese ad se ipsum frequenter, ut ars ad naturam, quam præsupponit, & tunc illud uno modo acceptum erit ab arte, & alio modo consideratum erit à natura.

Insuper, cum particularia præsupponant universalia, & semper specialia se habeant per additionem ad generalia, non est inconveniens, unum & idem secundum communem acceptionem esse à natura; specialiter autem acceptum esse ab arte. Ut patet in simili; si quæreretur enim, Vtrum fures occidere, vel malefactores punire sit de jure naturali? Responderetur, quod sic; naturale enim est, quod non debeamus pati maleficos vivere: attamen punire eos sic, vel sic, esse ad placitum. Inde equidem est, quod apud omnes civitates malefactores puniantur sed non puniantur apud omnes eadem poenâ. Punizio ergo malefactorum in generali est quid naturale: in speciali verò est quid positivi juris & ad placitum

Quomodo
naturalis?

Quomodo
ad placi-
tum?

Ars præsup-
ponit nat.

Hinc ubi
hæc termi-
natur, illa
incipit.

Vnum &
idem resp.
sui-ipsius
scilicet ars &
natura.

Sicut parti-
cularis resp.
univers.
quod præ-
supponit

Ut, in ex-
emplo.

Puniri
malefacto-
rum in gen.
natural.

Secus, in
part.

Qualiter
de sermo.
ne loquen-
dum.

tum : sic etiam de sermone dicere possumus ; loqui enim , & habere sermonem est homini naturale : sed loqui hoc vel illo modo non est naturale , sed positivum & ad placitum. Et inde est , quòd omnes homines loquantur ; non tamen omnes loquantur eodem modo.

CVM ERGO quæritur , Vtrùm sermo sit homini naturalis? dicere oportet ; quòd , loquendo de sermone secundum universalem considerationem, sit quid naturale : quia naturale est homini loqui. Et hoc volebat ratio prima, quâ dicebatur , quòd gustus & locutio sint opera naturæ. Loquendo tamen de locutione , secundum hunc , vel illum modum, sit ad placitum : quia non omnes loquuntur hoc vel illo modo. Et hoc volebat ratio secunda , per quam ostendebatur , sermonem esse ad placitum non à natura.

DISTRIBVTIO QVÆST.

SEQUENTIVM.

POSTEA quærebatur de potentijs animæ non organicis. Huiusmodi autem potentiæ duæ sunt ; scilicet intellectus & voluntas. Circa quas potentias tripliciter potest fieri quæstio. Primò de potentia intellectiva in se. Secundò de voluntate in se. Tertiò de una potentia in ordine ad aliam. Circa hoc ergo fiebat triplex quæstio. Primo de intellectu in se , & erat quæstio ; Vtrùm intellectus noster in hac vita possit cognoscere substantias separatas? Secundò quærebatur de voluntate in se ; & erat quæstio de Charitate , quæ ponitur habitus perficiens voluntatem ; Vtrùm scilicet huiusmodi charitas possit crescere in infinitum? Tertiò quærebatur in ordine ad intellectum , vel de intellectu in ordine ad voluntatem ; & erat quæstio , Vtrùm possit esse malitia in voluntate , nisi præcedat error in intellectu? Sit ergò.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI XVII.

Vtrùm intellectus noster possit cognoscere in hac vita substantias separatas?

Aliqua hanc materiam concernentia habet Ægidius infra quodl. 2. q. 23. & in 2. diff. 2. art. 2. q. 3. absolute autem decidit 2. met. à quæst. 9. videatur 3. de an. c. 18. d. 3. & c. 39. d. un. Greg. Ar. 1. d. 3. q. 2. & decidi etiam quæstio potest ex ijs quæ habet D. Thom. 1. p. q. 12. a. 3. & 4. cum suis Sectarioribus & Commentatoribus. Pureanus ibid. Molin. ibid. Cursus Salamant. ibid. disp. 3. Scotus in 4. d. 49. q. 11. ubi conuellere conatur rationem D. Thomæ fundatam in communi axioma ; *modus cognoscendi sequitur modum essendi*. Quod etiam facit in 1. d. 3. q. 3. & quodl. 14. a. 2. videatur ibid. quam tamen rationem defendunt Cajet. loco D. Tho. cit. item Ferrar. 2. cont. gent. c. 52. Capreol. in 4. d. 49. q. 4. ad Arg. cont. 1. concl. Soto ibid. q. 2. a. 2. & ex hoc Aristor. dict. 1.3. de an. c. 1. *Neceste est intelligentem phantasmata speculari*. Quæstionem pro negat. part. resolvunt D. Tho. 2. contra gent. cap. 76. & 78. Ægidius de præsent. de beat. tom. 2. q. 8. a. 3. §. 5. Baunes 1. p. q. 94. a. 2. Sotus in 4. d. 1. q. 1. a. 2. Suar. de op. sex dierum c. 9. n. 7. & l. 4. de pot. an. c. 7. n. 3. Mendosa l. 4. vtridarij, probl. 32. Fasol. 1. p. q. 12. a. 4. Albertin. coroll. tom. 1. ad principium primum cit. oppositam affirm. expressè longè latèque defendit rum auctoritate Veterum, cum rationibus. Stephanus Bubalus 1. p. q. 50. a. 2. q. 2. diff. 1. §. 2. & q. 54. a. 1. q. 2. §. 1. citatus & impugnatus copiosè à Thoma Hurtado in præcurf. Philos. d. 2. contr. memb. 6. qui varios ibid. pro se citat §. 2.

Ægidius autem hic , more suo , utrimque discussâ quæstione , & commentatoris Aristotelici partim rejecta , partim commodè explicatâ sententiâ , mentem suam explicat , & respondet ad argumenta contraria. Hoc modo.



AD primum sic procedebatur : ostendebatur equidem , quod intellectus noster posset cognoscere in hac vita substantias separatas. Quia secundum Aug. 9. de Trinitate. *Anima cognoscit corporea per corporis sensus : incorporea verò per seipsam.*

Præterea , Commentator 2. metaph. ubi Philosophus ait ; *Quòd , sicut se habet oculus noctuæ ad lucem diei , sic se habet intellectus noster ad ea , quæ sunt manifestissima in naturâ* : dicit , quòd hac comparatio sit secundum difficultatem , non secundum impossibilitatem : quia etsi non sit possibile, oculum

lum noctuæ videre lucem diei : nostrum tamen intellectum cognoscere substantias separatas, & ea, quæ sunt manifestissima in natura, non est impossibile, sed difficile tantum.

Præterea, sicut juxta eundem ibidem, *Otiose egisset natura, si fecisset Solem maxime visibilem; & non fecisset oculum aliquem potentem videre Solem*: Sic etiam, & multo magis egisset otiosè, si fecisset substantias separatas, quæ sunt maxime intelligibiles, & non fecisset intellectum potentem eas intelligere. Licet ergo intellectus rusticorum fortè non possit eas intelligere, intellectus tamen sapientum hoc poterit.

Præterea, secundum *Philos. 9. metaph. in intelligendo substantias separatas intellectus noster non se habet sicut cæcitas*, ergo se habet sicut visio: possumus ergo cognoscere & intelligere substantias separatas.

IN CONTRARIVM est; quod secundum *Philos. in primo de animâ, intellectus noster vel est phantasia, vel non est sine phantasiâ*. Et in 3. de animâ dicit; *Quod cum intelligimus, oporteat simul phantasmata speculari*. Et *In principio de memoriâ & reminiscentiâ*, ait; quod nostrum intelligere non fiat sine continuo tempore: igitur, cum substantiæ separatae non habeant phantasmata sibi correspondentia, cum non sint quid continuum, & non cadant sub tempore: non poterunt intelligi à nostro intellectu.

CONCLUSIO.

Cum intellectus noster naturaliter hic intelligens debeat phantasmata speculari, & substantiarum separatarum non dentur phantasmata: non poterit in hac vita cognoscere clarè & perfectè quidditatem substantiarum separatarum, etsi posset cognoscere existentiam.

1. Sent.
comm.
aff.

RESPONDEO, Dicendum; opinionem fuisse *Commentatoris*, nos posse intelligere in hac vita substantias separatas: putabat enim, quod intellectus possibilis se haberet sicut aer vel sicut oculus recipiens species: intellectus verò agens se haberet sicut lumen: similitudines verò phantasmatum

receptæ in intellectu se haberent sicut colores, vel sicut species colorum receptæ in aëre, vel in oculo: & sicut lux se habet ad colores; sic intellectus agens se haberet ad phantasmata: & quia eadem est proportio intellectus ad sensum, quæ est luminis intellectus agentis ad lumen corporale, & quæ est specierum intelligibiliū ad species sensibiles: posuit *Commentator*; quod, sicut sensus, vel sicut medium, ut aer, simul recipiendo species sensibiles recipit lumen corporale: sic intellectus possibilis simul recipiendo species intelligibiles recipiat lumen intellectus agentis.

Cum ergo intellectus possibilis fuerit plenè perfectus speciebus intelligibilibus, & plenè conjunctus intellectui agenti: etiam plenè recipiet lumen ejus. Et quia sic plenè erit illuminatus, poterit, secundum *Commentatorem*, tunc cognoscere substantias separatas.

Voluit equidem *Commentator*, quod ultima prosperitas intellectus possibilis sit, quando perfectus est per species intelligibiles plene conjungentes eum luminis intellectus agentis: in qua ultima prosperitate voluit, quod denudaretur omni potentialitate. Quare, ut ait, intellectus noster sic factus in actu per species intelligibiles, sic illuminatus lumine intellectus agentis, sic denudatus à potentialitate poterit cognoscere substantias separatas. Verum quia difficile est, intellectum possibilem sic perfici per species intelligibiles, & sic perfici per verum lumen intellectus agentis, difficile etiam est cognoscere substantias separatas: non tamen secundum eum, est hoc impossibile. Ideo ait *Commentator*, *proportionem illam, quam Philos. ponit 2. metaph. inter oculum noctuæ, & lucem diei, & intellectum nostrum & manifestissima in naturâ* (ut in arguendo tangebatur) esse secundum difficultatem, non secundum impossibilitatem: quia oculum noctuæ videre lumen vel lucem diei, id est, Solem, in sua sphaera est impossibile: intellectum autem nostrum cognoscere substantias separatas, & manifestissima in natura, non est impossibile, sed difficile.

SED HÆC positio stare non potest: quia, secundum *Dionys. 1. de divin. nominib. intelligibilia per sensibilia* comprehendendi.

Impugnatur.

Quia intelligibilia per corporalia minimè possunt comprehendendi.

Qualia
sunt species
intellectus
poss.

comprehendi non possunt; ergo substantiæ separatae per corporalia non possunt comprehendere. Quare, cum species receptae in intellectu possibili sint derivatae à phantasmatis, quæ solum sunt rerum corporalium; non poterunt per eas comprehendere substantiæ separatae; ergo licet intellectus possibilis recipiat lumen intellectus agentis, recipiendo species phantasmatum; per huiusmodi lumen non poterit se plus extendere in cognoscendo, quam se extendant illæ species: ergo, quantumvis sic illuminatus, non poterit perfecte cognoscere intelligentias; cum illæ species ad hoc se non possint extendere.

2. Sent.
Auct. neg.

Omnia hæc
inferiora
quomodo
sint effectus
intelligen-
tiarum?

Effectus du-
cunt in cog-
nitionem.

Subinde
quidditatis.

Subinde
existentiæ
ipsius cau-
sæ.

Cognos-
cuntur à
nobis per
corporalia,
quod sint.

Dicamus ergo, hæc inferiora quidem esse effectus intelligentiarum: quia omne opus naturæ est opus intellectuale: cum omnia, quæ hic inferius aguntur, derivata sint ab arte intelligentiarum moventium orbes. Nunc autem, quamvis ita sit, ut semper effectus ducant in cognitionem causæ: hoc tamen faciunt aliter & aliter: quia, si effectus sint proportionati causæ, ducunt in cognitionem, *quid sit causa*? si verò sint impropportionati, non ducunt in cognitionem, *quid sit causa*? sed tantum, *quod sit causa*. Igitur cum corporale sit impropportionatum intelligentiæ: & quia omnia ista corporalia non adæquantur sublimitati naturæ cuiuscumque intelligentiæ: fit, quod per species rerum corporalium intellectus noster (et si perfectus esset speciebus omnium istorum corporalium) non possit intelligere de aliqua substantia separata, *quid sit*? sed solum, *quod sit*.

AD HOC VERO quod obijciebatur, quod anima per seipsam cognoscat incorporea, Dicendum, quod anima seipsam cognoscat per ista corporalia: & hoc modo cognoscat etiam substantias separatas, sed, quia hæc corporalia non sunt illis proportionata, non cognoscat, quid sint, sed quod sint.

Ad hoc verò, quod addebatur de *Commentatore*, quod cognoscere eas non sit impossibile, sed difficile, Dicendum quod in hoc non sit rectum dictum *Commentatoris*. Vel possumus dicere, quod non sit impossibile cognoscere substantias separatas aliquali cognitione, quia possumus de ijs cognosce-

re, quod sint: licet sit aliquantulum difficile.

Ad hoc verò, quod ulterius addebatur; quod otiose egisset natura, si fecisset substantias separatas maximè intelligibiles, si non cognoscerentur ab intellectu nostro, Dicendum, quod cognoscantur ab intellectu intelligentiarum, non ab intellectu nostro: vel cognoscantur ab intellectu nostro, non quidem, quid sint; sed, quod sint.

Ab intelli-
gentijs sim-
pliciter,
quid sint?

Ad hoc verò, quod addebatur quartò, quod intellectus noster non sit sicut cæcitas, sed sicut visio, Dicendum, quod cæcus, secundum quod huiusmodi, neque cognoscat, *quid sint colores*? neque, *quod sint colores*, quia impossibile est, cæcum à nativitate syllogizare de coloribus: nos autem cognoscamus, substantias separatas esse, licet ignoremus eorum quidditatem.

Cæcus a
nativitate
nequidem
scit, quod
sint colores.

QVÆSTIO IV.

QVODLIBETI XVIII.

Vtrum charitas possit crescere in infinitum?

Specialiter hanc quæstionem resolvit Ægidius in 1. dist. 17. part. ult. q. 4. quod faciunt etiam ea, quæ habet in supplem. 3. sent. d. 13. p. 1. q. 1. a. 2. de intentione gratiæ Christi: quæ sunt desumpta ex eodem in 1. d. 44. p. 2. q. 3. & d. 17. p. 1. q. 3. tractat etiam Greg. Arim. in 1. d. 27. q. 6. Gerard. Sen. q. 2. a. 10. Argentin. q. 2. a. 3. D. Thom. d. 17. q. 2. a. 4. & 2. 2. q. 24. art. 7. & ibidem ejus Discipuli, & Comment. Puteanus a. 5. dub. 2. Malder. aa. 4. 5. 6. 7. Scotus in 3. d. 13. Ricard. 1. d. 17. a. 2. q. 7. Hervæus q. 6. Guill. Rub. q. 4. Bassol. q. 3. Durand. q. 9. Aureol. a. 3. Occam q. 8. Henricus quodl. 5. q. 2. Th. Hurtado, in præc. Theol. tract. de dist. & perf. don. sup. contr. 6. ferè per tot. ubi & plures citat Pasolus 1. p. q. 7. a. 3. & 4. ubi multis dubitationibus agit de possibil. infiniti videantur Physici de Infinito. Et alij locis citatis, & alibi.

Ægidius verò hic agitatam quæstionem remittit ad alias suas lucubrationes à se editas: breviter tamen ex tribus fundamentis resolvit pro parte negativa: quamvis interim inficias ire nolit, quin charitas possit augeri in infinitum secundum quid.



Secundò quærebatur de Charitate; Vtrum Charitas possit crescere in infinitum?

ARGVEBATVR autem, quod sic: quia charitas augmen-

tatur per opera naturæ in charitate facta : sed possumus semper operari , ergo poterit charitas in infinitum augeri.

IN CONTRARIVM est , quia si charitas non haberet statum in augmento , sancti existentes in patria cognoscerent se posse habere maiorem charitatem quàm habeant : vel ergo vellent eam , vel nollent : Si nollent , insipientes essent : si vellent , & habere non possent ; essent miseri : habet ergo statum charitas in augmento , nec potest semper in infinitum crescere.

R E S O L V T I O .

Cum non reperiatur aliqua creata charitas actu infinita , & omnis ea habeat quidditatem distinctam ab esse , & recipiatur in alio : Dicendum , non posse eam simpliciter augeri in infinitum : quamvis bene , secundum quid.

Triplex
ratio con-
clus.

RESPONDEO Dicendum ; quod hanc quæstionem diffusius determinaverimus in quibusdam nostris editionibus Theologicis. Sufficiat autem hic breviter comprehendere veritatem. Possumus autem triplicem rationem adducere , quare oporteat charitatem habere statum in augmento : & non sit possibile eam augeri in infinitum.

Prima ratio sumitur ex eo , quod charitas sit quædam forma. Secunda : ex eo quod habeat quidditatem distantem ab esse. Tertia : ex eo , quod habeat esse receptum in natura.

I. Prima ratio sic patet. Nam processus vel sequitur naturam materiæ , vel naturam formæ : si naturam materiæ (cum materia sit quid in potentia) non oportet , talem processum aliquando finiri. Inde est , quod , quia divisio continui sequitur naturam materiæ , possit fieri in infinitum , nec oporteat quod , etsi continuum sit divisibile in infinitum , quod aliquando actu sit divisum in infinitum.

Quia ejus
augmen-
tum sequi-
tur natu-
ram formæ.

Sed si processus aliquis sequatur naturam formæ , cum forma dicat quid in actu , oportet , processum illum aliquando reperiri in actu perfecto. Ideo *Commentator* ait 3. *Physicorum* , quod , quia , augmentum sequitur naturam formæ :

si aliquid posset augeri in infinitum , reperiretur aliquid actu augmentatum in infinitum : igitur cum charitas sit quædam forma , si charitas posset augeri in infinitum , reperiretur charitas aliqua actu augmentata in infinitum : quod est inconueniens.

Secunda ratio sic patet : nam eo ipso , quod charitas habeat quidditatem distinctam ab esse ; non est ipsum esse , sed est in potentia ad esse. Omne autem tale est determinatum ad genus & ad speciem , & per consequens est quid limitatum & finitum. Sicut ergo quælibet creatura est quædam participatio divinæ entitatis , quæ est infinita ; ipsa tamen creatura est quid limitatum & finitum : quia est determinata ad certum genus , & ad certam speciem : sic ipsa charitas , & est terminata ad genus , & speciem , & est certa ratio , & numerus ejus magnitudinis & augmenti , non obstante , quod ipsa sit participatio amoris divini , qui est infinitus.

Tertia ratio sic patet : quia omne esse receptum est quid finitum , & limitatum ; igitur eo ipso , quod charitas habeat esse receptum , habet esse limitatum , & ei repugnat infinitas : sed nulli rei , cui , quantum est de se , repugnat infinitas , competit posse augmentari in infinitum : ergo non competit charitati.

PROPTER argumenta , Sciendum ; quod , aliquid posse augeri in infinitum , possit intelligi dupliciter : vel simpliciter & absolute , vel præfixo aliquo termino. Simpliciter autem & absolute non est augmentabilis charitas in infinitum , idque propter rationes tactas : supposito autem aliquo termino , non est inconueniens , eam posse sic in infinitum augmentari. Vt cum charitas patriæ sit finita , etsi demonstretur charitatem viæ semper augeri , numquam tamen devenietur ad tantam perfectionem , quantam habet charitas patriæ : talem autem processum in infinitum , qui non est infinitus simpliciter , sed secundum quid , non est inconueniens competere creaturæ. Vt , si semper augmentaretur triangulus , semper augmentaretur angulus contingentiæ : ille tamen angulus semper esset acutus , & semper esset minor recto. Simpliciter ergo loquendo , charitas non

II.

Quia ha-
bet quiddi-
tatem dis-
tinctam a
esse.

Talia au-
tem omni-
bus limi-
tata ad ge-
nus & spe-
ciem.

III.

Quia ha-
bet esse re-
ceptum i
alio.

Talibus a-
tem repu-
nat infini-
tas.

Augeri a-
quid in i-
finitum i-
telligi di-
pliciter p-
test , vel si-
pliciter , v-
secundum
quid.

Posteriori
modo ,
creaturæ
potest con-
petere.

tas non